

28
B. C. D.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

AQUA LUSTRALI
PONTIFICIORUM,

VOM

Weih-Wasser.

ad C. Aquam Sale. de Consecrat. D. 3.

Quam

SUB PRÆSIDIO

JOH. GVILIELMI BAJERI

S. Theol. D. & Prof. Publ.

ventilationi publica exponet

JOHANNES Rehberger /

Norimbergensis

d. XXV. Junii A. C. cIs Isc XCII. Junii 1692.

Horis Locoque consvetis.

J E N Æ,

Literis GOLLNERIANIS.

D. C. D.
DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
DE
AQUA LUSTRALI
PONTIFICIORUM.

DOMI
Johann Baptist
Krause.

ad C. Aquam Sale. de Consecrat. D. 3.

Sub Praesidio
JOH. GUILIELMI BAIERI

2. Theol. D. & Prof. Publ.
transmissione publica exponit
JOHANNES
Krause

M. XXV. Junii A. C. M. DC. XCII.
Hortu Ecclesiae conventus.

J. B. N. A.
Licitis COLLNERIANIS.





I. N. 7.

DE AQUA LVSTRALI
PONTIFICIORVM.

Ad C. Aquam Sale. De Consecr. D. 3.

EXERCITATIO.

§. I.

Equidem adeò aperta est superstitio Pontificiorum, uti in aliis ritibus quamplurimis, sic in aquæ lustralis consecratione & usu, ut hoc tempore fortasse supervacaneum videri possit, in hanc rem scribere: postquam non solum superiore seculo, cum Ecclesiæ nostræ è dira servitute ac tenerris Papalibus eluctarentur, ineptia illa cum impietate conjuncta facile agnita fuit; sed & postea, pugnantibus quantumvis pro sacrorum suorum dignitate Doctoribus variis multisque, Nostrates partim, partim Reformati, futilitatem argumentorum ostenderunt. Cum enim agrè ferretur, quod *Lutherus* Libro vom Schemhamphoras/A. 1543. scripserat: Er/ Pontificem notat, hat auch sein sonderlich Schemhamphoras/ da fähret er zu/ bezaubert das Wasser/ mit losen/ blossen ledigen Buchstaben/ gibt für/ es sey Weih-Wasser/ das die Sünde abwasche/ den Teufel verjage/ und andere viel Tugend habe/ wills Gpott nach thun/ wie ein Affe &c. factum mox est, ut Pontificii sanctitatem ritus tantò magis adstruere; Nostrates ex aduerso, & in his consentientes Reformati, superstitionis foeditatem & noxam ostendere clariùs adniterentur. Sic enim ab illa parte non tantùm publico nomine, *Agenda Coloniensia*; sed & sigillatim *Thomas Stapletonus* in *Promptuario Cathol. Bellarminus* de Cultu SS. cap.

A

XVII.



XVII. *Jac. Gretserus* de Benedictionibus; *Jacobus Kellerus* in Papatu Cathol. *Franc. Costerus* de Societate B. Virginis; *Guilielmus Bailius* Catechif. Controvers. & ex Moralistis *Jac. Laymannus* & *J. Azorius*, aliorum vestigia secuti; sed & Historici, *Baronius* in Anal. ad A. 58. & A. 439. *P. Cutsenius* in Histor. Bonif. inprimis autem *Marsilius Columna* in Hydragiologia, Aquæ lustrali patrocinium commodarunt: Ab altera parte Nostrates in Tract. de causis recusati Concil. Trid. *Stattliche Ausfüh. der Ursach* &c. *Martinus Chemnitius* P. IV. Exam. Concil. Trid. *Conr. Wolfgang Platzius* in Luco succiso Errorum Pontif. L. XCVIII. *Jac. Heilbrunn. Uncath. Bapsthum* Art. XIX. Q. III. p. 752. seqq. & *G. Zeem.* in Contin. & Defens. hujus scripti contra Keller. P. II. p. 883. seqq. *Joh. Gerhardus* Conf. Cathol. L. II. spec. P. II. Art. X. Cap. VII. p. 768. seqq. *Henr. Höpfner.* Saxon. Evang. p. 349. *J. C. Dannbauer* Hodomor. Sp. Pap. T. I. Phant. VI. p. 1268. seqq. Ex Reformatis *Rud. Hospinianus* de Templis L. II. C. XXV. p. 273. seqq. *A. Rivetus* Cathol. Orthod. T. I. p. 416. videri possunt. Taceo eos, qui Casus practicos, seu Conscientiæ, evolventes in eandem quæstionem inciderunt: ex nostris *Mengerium, Dunte, Dannbauerum*: ex Reformatis *Alstedium*.

§. II. Facile colligitur, quanta hîc suppetat copia, si tot Auctorum seu argumenta sive Narrationes aut observata coacervare animus nobis esset: quemadmodum & summa rei à laudatis *Gerhardo* atque *Höpfnero* II. cc. nervosè proposita, legi potest. Sed quia præcipuum in hoc negotio præjudicium ab aquæ lustralis æstimatoribus petitur est ex Decreto veteri, quod sub nomine *Alexandri I. P. R.* in Corpus Juris Ecclesiastici Romani seu Canonici illatum apparet; ideo ad Canonis hujus considerationem revocabimus, quæ ad superstitionis illius cognitionem & censuram inprimis pertinere deprehendimus. Sic autem in Corpore illo Juris Canonici, quod *absolutissimum* appellatur, edit. Lugd. A. 1618. De-

Decreti Parte tertia, de Consecratione Distinct. III. C. XX. (quæ est 10. pars dist. secundum *Job. de Fanto*, quem alii *de Fantona*, alii *Fantucco*, aut *Fantuccium* vocant) p. 1970. & 1971. præmissâ significatione Auctoris & scripti, cui secutura constitutio originem debeat, (his verbis: *Item Alexander Papa V. à Petro epist. I. cap. 5.*) & titulô, contentorum indice: (*Quare sit institutum, ut aqua sale conspersa sanctificetur;*) verba ipsa Capituli sese habent:

Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitule sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Heliseum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum & coinquinatos sanctificat atque mundat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutiis homines defendit.

§. III. Equidem, an tractatus de Consecratione, cujus partem facit sanctio ista, à Gratiano sit scriptus? à quibusdam dubitatum esse memorat *Ant. Augustinus* Lib. I. de emend. Gratian. dial. 18. sed cum non adsint firmæ rationes, quare Gratiano sit abjudicandus, neque veterum ullus hoc fecerit; rectè concludit *Vir Cl. Gerh. van Mastricht*: *Maneant tantisper Gratiani, donec evidentiores rationes sint allatae.* *Hist. Jur. Eccl.* num. 322. p. 354. Ac nobis sufficere poterat, quod inter Canones ab Ecclesia Romana receptos extat; quisquis etiam collegerit: quodque Pontificii, qui aquam lustralem commendant, plerique auctoritate decreti istius nituntur. Cæterum de Gratiano illo, deque aliis pluribus Canonum ac Decretalium Collectoribus *Viri Doctissimi. Gebh. Theod. Meierus*, Dissertatione peculiari, Codici Canonum Eccl. Univ. à Chr. Justello edito præmissa, *Job.*



Strauchius Amœnit. Jur. Can. Eclog. I. C. *Zieglerus* dissert. de Orig. & Increm. J. Can. Lancelloti Institutionibus præfixa & *G. Th. Mastricht* lib. cit. sic egerunt, ut non solum antiquorum scriptorum sententias ac testimonia, sed sua quoque monita cum iudicio exhibeant, nec Lectorem sine iucunditate aut fructu dimittant.

§. IV. Nobis *Alexander* P. R. à Gratiano citatus, cum epistola propius paulò contemplandus erit. Hunc à Petro Apostolo quintum in ordine: patriâ Romanum, patre cognomine, ex regione Caputtauri natum, juvenem ætate, moribus seniore, annis X, mensibus VII. diebus II. officio functum; tandem, sub Ælio Adriano martyrio coronatum cum *Eventio* & *Theodulo* Diaconis, sepultum; autem in via Nomentana, ubi interfectus sit, septimo ab urbe millenario, V. Nonas Maji, memorat *Platina* in Vit. Pont. p. m. 16. 17. Et *Eusebius* quidem similiter Alexandro quintum à Petro & Paulo successionis locum assignat. L. IV. H. E. c. I. ed. Vales. pag. 115. anno quoque principatus Hadriani tertio, fato functum, cum decem annos administrationis expleisset, testatur cap. IV. p. 117. sed nec, ut Monarcham, Petro successisse dicit, nec martyrio periisse. *J. Balens* tamen de Rom. Pontif. Actis L. I. p. m. 6. Christiani nominis gratiâ supplicia gravissima anno Domini 121. ad mortem usq; passum esse refert; idque sub præside Aureliano: id est *Judice* (non Imperatore) juxta *Baronium*; sed ad A. C. 132. & Epitomatores ejus *Job. Gabrielem Bisciolum*, p. 82. qui annum suscepti muneris, non emortualem, fuisse illum 121. affirmant. Martyrii verò gloriam etiam *Jac. Revius* Alexandro relinquit Hist. Pont. R. p. 5. & *Robertus Barus* in Vitis Pont. Witteb. 1536. editis, studio evangelizandi & miraculis celebrem interfectum, martyrem obiisse scribit.

§. V. De rebus gestis illius silet *Eusebius* II. cc. Hoc præcipuè laudant *Baronius* & Epitomatores, quod complures Senatores & Præfectum urbis *Hermetem* cum omni familia, alios-

aliosque Romanos cives ad Christi religionem perduxerit. Cum-
 que Platina & alii hæc quoque tribuant Alexandro, quòd
 primus, ob memoriam passionis Christi in sacrificio (i. e. cele-
 bratione Eucharistiæ) addiderit, Qui pridem, quàm patere-
 tur, usque ad hanc clausulam, Hoc est corpus meum: quodque
 voluerit aquam admisceri vino in consecratione sanguinis &
 corporis Jesu Christi, quo significetur, Christum Ecclesiæ conjun-
 ctum esse: Id Baronius & sequaces sic intelligi debere putant,
 quòd talia scriptò sanciverit, quæ jampridem Apostolicâ insti-
 tutione atque ipsius Domini erant tradita: illud nimirum
 Luc. XXII. & 1. Cor. XI. istud, testimonio Cypriani ep. LXIII.
 edit. Pamel. & Justini, Apol. ad Antoninum. Verùm hæc
 quidem nec traditiones Pontificiorum ἀζυμῶν juvare pos-
 sunt, si in scriptis Lucae & Pauli contineantur: & reverà ad
 genus τῶν ἀδιαφόρων ac ceremoniarum, sic aut aliter usurpa-
 bilium, pertinent: ut, si maximè olim liberè observata fuerint,
 Alexandri tantùm auspiciis in legem Ecclesiasticam abiisse
 dicenda sint. Quanquam Cypriani & Justini, qui post illum
 vixerunt, narrationes, mandatum universale ritûs miscen-
 di vinum aquâ non probent: Platina autem non dicat,
 Alexandrum scripto comprehendere cœpisse, quod hætenùs
 traditione esset usurpatum; sed primum istud addidisse; sic
 voluisse &c. Eadem ratio est illius constitutionis, quâ Obla-
 tionem ex azymo, non autem ex fermentato, ut antea, fieri
 mandasse dicitur; quia hõc modò purior haberetur, & Ebioni-
 tis hæreticis calumniandi occasio auferretur. Plat. l. c. Scilicet
 hîc novitas manifesta est, ex verbis, non ut antea: neque
 colorem illum aut prætextum Baronianum admittit. De-
 mandato autem ipso notanda est moderatio & huma-
 nitas illa, quâ dissentientes benignè tolerati fuerunt.
 Nam & Innocentii III. tempore adhuc multi sacrificabant
 de fermentato, quibus tanquam verè Catholicis Ecclesia Roma-
 na communicavit: quæ ipsius Innocentii III. verba sunt
 L. IV. Myst. Missæ cap. 33.



§. VI. Enimverò hæc ipsa observatio de panis azy-
mi ad usum Eucharistiæ sanctione, velut *Ebionitis* hæreticis
opposita, dubium movere posset ei, quam nunc considera-
turi sumus, constitutioni de *aqua benedicenda*; utrum Ale-
xandro rectè tribuatur. Docet enim *Marsilius Columna*
in *Hydragiolog.* Sect. 3. cap. 7. §. 1. *Ebionem omnium pri-
mum putasse, lotionibus aquarum, quibus ille utebatur, deleri
peccata.* Mirum itaque, si Alexander, Ebionitis adeò adver-
sus, ut ritum veterem innocentem mutaret; hîc tamen ita
condescenderit hominibus illis, ut, si non eundem, vicinura
tamen eorum superstitioni ritum ipse sanciret!

§. VII. Jam enim ad sanctionem illam, quæ sub no-
mine Alexandri exhibetur nobis, ex instituto accedendum est.
Nam & *Walafridus Strabo* in *Lib. de Cathol. Eccl. div. offic.*
p. 335. *Job. Micrologus* de *Eccl. observ.* p. 400. & *Guil. Du-
rantes* L. IV. *Rational.* cap. IV. *Antonius Florentinus* *Summ.*
Historial. tit. VII. cap. 5. *M. Anton. Coccius Sabellicus* *Ennead.*
VII. lib. IV. & *Polyd. Vergil.* L. V. de *Invent. Rer.* c. VIII.
p. m. 369. Alexandrum auctorem referunt. Sed qui superstitionem
inprimis commendare ac propagare nituntur, *Apostoli-
cam traditionem* agnosci jubent. Ita enim *Bellarminus* L. IV.
de V. D. cap. III. *Alphonsus à Castro* L. II. adversus Hæres.
verbo, *Aqua, hæres. 2. Jac. Kellerus* in *Pap. Cath.* & alii.
Juxta quos Alexandri illa constitutio non ad introducen-
dum ritum novum; sed ad conservandum veterem, spectare
dicenda est. Atque ipse *Platina* sic exponitur, qui scripsit: *In-
stituit (Alexander) ut aqua, quam sanctam appellamus; sale
admixta, interpositis sacris orationibus & in templis & in cubi-
culis ad fugandos demones retineretur.* Quasi videlicet jam
antè usû Ecclesiæ recepta fuisset.

§. VIII. Sed profectò nulla apparent vel levisissima
indicia tam antiqui usûs aquæ, ad istos fines, istoque modo
consecratæ, ut hujus origo inde ab Apostolorum ætate in-
ter Christianos deduci queat. Quod enim *Bellarminus* L. III.
de

de Cultu Sanct. cap. 7. ad auctoritatem *Constitutionum Apostolicarum*, ut nomine *Clementis Romani* extantium, provocat; vel idè ineptum est, quod idem in *Catal. Script. Eccl. p. m. 39.* fatetur, Constitutiones illas in *Ecclesia Latina nullum ferè nomen habere; -- haberi in istis non pauca, quæ abhorre-re videantur à veritate: ita ut incertus ipse sit, corruptas tantum? an suppositas dicere debeat? sed & Robertus Cocus in Censura Script. vet. p. m. 28. & J. Dallæus Libb. III. de Pseudepigraphis Apostolicis, adeò clarè ostenderunt, spurium & adulterinum esse foetum, ut adversùs solem loqui necesse sit, qui auctoritatem earum porrò asserere ausit. Nec majoris roboris est, quod ex *Basilii M. libro de Spiritu S. cap. XXVII.* petitur testimonium antiquæ & arcanae traditionis de Consecratione aquæ. Non solùm enim & hujus libri multa suspecta novimus *Ensmo*, cujus Judicium vindicavit adversùs *Bellarminum & Costerum Rob. Cocus. l. c. p. m. 242.* Sed & in ipso textu libri non fit mentio consecratae aquæ extra baptismum, sed *aquæ baptismatis* ipsius: de quâ hîc non est quaestio. Itaque, si *Alexander* de hac aliquid instituisse, Apostolicâ traditione destitueretur. Quodsi *Platinae* verbum, de *retinenda* aqua illa, urgeatur, fatius foret dicere; placuisse ei, ut retineretur mos apud *Judæos & Ethnicos* usitatus, à *conversis ad fidem* leviter immutatus: (quemadmodum id *Polydorus Vergilius l. c.* agnoscit: & nos de origine illa infra dispiciemus) quàm ut ab *Apostolis Ecclesiæ* commendatus, indeque receptus atque adeò retinendus fuisse statuatur.*

§. IX. Sanè si traditio Apostolica hîc locum habuisset, quî factum credamus, ut *Ecclesia Orientalis seu Græca* usque adeò aliena ab eo ritu maneret, ut etiam apertè improbaret, in hanc usque ætatem? Et quomodo scriptores *Ecclesiastici* usque ad *Gregorium M.* per sex annorum centurias de tam sancto & multiplicis utilitatis ritu tacituri fuissent? quos nullam usquam ejus mentionem fecisse planum est.

est. Nam & *Cyillum*, quem *Guil. Bailius* objicit, de aqua baptismali, juxta institutionem Salvatoris consecrari solita, locutum esse, monstravit *Andr. Rivetus* *Cathol. Orthod.* p. 418. 419.

§. X. Itaque non solum ab Apostolica traditione fluxisse constitutionem illam Alexandro adscriptam negamus: sed & Alexandro ignorantique invito adscriptam judicamus. Epistolas profecto Decretales, quæ Romanis Episcopis primis ad Siricium usque adscribuntur, jam pridem ab eruditissimis declaratas constat spurias, & Viris illis, imò seculi utroque indignas: ut qui post *Turrianum vapulantem*, (flagellante scilicet hominem temerarium, *Pseudo-Isidori* Mercatoris? an Peccatoris? hyperaspistem infelicem, *Dauidè Blondello*,) Epistolarum illarum auctoritatem prætere & urgere voluerit, duplo majores mereatur plagas, ac pudorem decoxisse omnem judicandus sit. Quanquam jam olim mercium istarum futilitatem & mendacia detexerunt *Heilbrunnerus*, *Gerhardus*, *Calixtus*, *Zieglerus*, nostri: & Reformati, *Casaubonus*, *Mornæus*, *Cocus*, *Rivetus*; quibus postremò accessit *Gerh. van Mastricht* in *Hist. Juris Eccl.* §. 220. seqq.

§. XI. Speciatim de Epistola illa Decretali Alexandrina observamus Censuram *Blondelli* summariam, p. 171. *Hujus epistole artifex falsâ notâ consulari farraginem suam consignavit, barbaro eloquio portentosa de aqua salsa & aliorum elementorum consecratione dogmata edisseruit. In questione de Calicis Eucharistici mixtione, Hieronymi, Concilii 3. Carthaginensis, Concilii 3. Bracarenensis, Canonis Missæ phrasés est imitatus: sententias denique Ithacii Clari, Siricii, Concil. 3. Carthag. Ruffini primæ Clementinæ Interpretis, Procli, Ennodii, Adriani I. pro arbitrio descripsit. Nimirum data fertur Trajano & Heliano Viris Clariss. Coss. Atqui hoc perinde est, ac si dixisset, data ad Calendas Græcas, id est nunquam: monente Rob. Cocco. Nam & Helianus nullum cum Trajano consulatum gessit, sed cum Vetere A. D. 118. Ultimus Trajan*

jani consulatus incidit in A. 114. tunc collegam habuit Africanum. Alexander verò Evaristo successit demùm annò 121. Adriano III. & Rustico Coss. docente idipsum Baronio in Annal. quamvis Epitomator Bisciola, ingressum ejus Avio-lâ & Pansâ Coss. accidisse perhibeat. Certè juxta Cassiodorum & alios, quos consuluerunt Baronius & Bisciola, undecim illis annis, quibus Alexander Episcopatu Romano functus perhibetur, nunquam vel Trajanus, vel Ælianus, nedum uterque, Consul Romanus fuit. Eloquii barbari speciem inter plura luculentum est, quod verbum *profiteri* in passivâ significatione adhibet. *Confessio non extorqueri debet, ait, sed potius sponte profiteri.* Quanquam & à probato loquendi usu recedat phrasis, quâ *confessionem profiteri* dicimur. Portentosum dogma de aquæ falsæ consecratione post paulò, velut ex instituto, examinabimus. De Calicis Eucharistici mixtione notamus, quòd scriptor fundamentum constitutionis allaturus, ad traditionem pariter & rationem ita provocat, ut tamen à veritate scripturæ, & institutionis divinæ Christi, illa distinguat. Sic enim legimus: *Non debet enim (ut à patribus accepimus & ipsa ratio docet) in calice domini aut vinum solum aut aqua sola offerri: sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur. Ipsa verò veritas nos instruit, calicem & panem in sacramento offerre; quando ait, Accepit Jesus panem & benedixit &c.* Nimirum credere nos jubet, quòd traditiones non-scriptæ pari pietatis affectu cum Scripturis sint recipiendæ: à quâ sententia Christiani istius seculi abhorruerunt. Et quæ illa ratio: Sangvis & aqua (non vinum & aqua) profluxerunt ex latere Christi. Ergò in administratione Cœnæ, præter sanguinem & vinum, etiam aqua naturalis adesse, atque hæc humanâ operâ vino misceri debet. Quicquid enim sit de ritu ipso mixti calicis: ratio allata certè nulla est; & constitutionis Alexandrinæ rationem aliam significavit Platina. Loca autem Hieronymi & Conciliorum veterum, unde sua



confarcinavit Pseudo-Alexander, suis numeris indicavit Blondellus: quæ nos huc transcribere nolimus. Neque etiam urgebimus, quod *Robertus Cocus* monet, annis primis ducentis in Ecclesia Christiana nec nomen Trinitatis, nec fidem de Trinitate adeò distinctè & expressè fuisse traditam, uti ea in Epistola ista fusissimè tractatur: quodque sanctæ sedis Apostolicæ i. e. Romanæ non tantum primatus ordinis seu *megdeja*, sed tribunal supremum, adeò extollitur, ut factum illum secutis temporibus demùm in lucem editum, citius, quàm ætas illa ferebat, arguat.

§. XII. At nos, misis illis, decretum peculiare de aquæ lustralis consecratione & usu, jam accuratiùs expendemus: quod cum prioribus in Epistola contentis ineptissimè connectitur. Nam cum de oblatione Eucharistica disseruisset, in aquam illam sic delabatur, ut cum vino Eucharistico aquam salisam miscendam statuere crederes, sic pergentem loqui: *Aquam ENIM sale conspersam populis benedicimus.* Sanè vel in absurdum illud concedendum erit, vel aliàs fatendum, rectè scripsisse Blondellum: *Imperitè à particula enim bardus impostor orditur decretum; quod cum precedenti nullo modò coheret.* Habet autem etiam particulam istam enim in recensione hujus decreti *Franciscus Joverius* Valentianus, in Sanctionibus Ecclesiasticis, quas A. 1555. Parisiis edidit, Classe tertiâ, p. 99. b.

§. XIII. Decretum ipsum aquæ lustralis duabus constat partibus: Propositione & Confirmatione. Propositione tribus constat membris. Non solum enim *quid fiat*, seu *specificationem ritus*, ut scholæ loquuntur, exponit; sed & *finem*, cujus causâ observetur, & denique *mandatum* ad omnes sacerdotes, de ritus hujus *exercitio* tradit. Confirmatio argumenta continet, quæ efficaciam ritus illius probent, adeoque ritum ipsum commendent; eaque tria, ab analogia (1) ritus veteris Levitici; (2) actus Prophetici ab Helisæo patris, (3) tactus fimbriæ vestimenti Salvatoris, petita. De
qui-



quibus singulis, quoad utramque partem & partium membra, jam distinctè nobis agendum erit.

§. XIV. Quid fiat, paucis exponit Pseudo-Alexander: *Aquam sale conspersam populis benedicimus*, ait, eaque *adspergi cunctos* docet. Sic rem duplicem, aquæ & salis; simul actum duplicem, quod & misceantur res illæ (seu quod aqua sale conspergatur;) & aqua salsa aspergatur hominibus, memorat; ut *materia remota & propinqua* ratio appareat. Addit benedictionem, quæ *formam* rei sacræ rituique ipsi largiatur.

§. XV. Aquæ & salis nomina, uti res ipsa, nota sunt: neque, opinor, difficultatem h. l. habent. Nisi fortè huc referamus quæstiones, v. g. an, si sacerdos intendat totum flumen benedicere, effecturus sit? an, si puteum? si fontem? Verùm hæ non tam ipsam aquam ejusque differentias, quam benedictionem aquæ, attinent: ideòque hæc hactenus differri possunt.

§. XVI. Mixtio aquæ & salis non minùs manifesta est: licet *consperfusionis* nomine maluerit uti scriptor. Scilicet actus, quò salis cocti, & in sicco concreti, particulæ injiciuntur aquæ; sparsio rectè dicitur: quando *spargere*, juxta Lexicographos, est quasi per spatium aliquid agere; quâ ratione semina, folia, nummos spargere dicimur, quæ divisim & per spatia, non uno cumulo, projiciuntur: unde & sales carnibus, propriè; sales etiam orationi, metaphoricè aspergi dicuntur. Cùm autem sal in humido liquefcere constet, tantò magis apparet mixtio salis in aquam conjecti cum aqua ipsa, præsertim si hæc mota non nihil fuerit. Nam & sicca inter se, uti grana tritici & vilioris frumenti, suo modo miscentur. Unde non erit, cur in verbis consperfusionis & mixtionis moveatur scrupulus. Aquam salis esse, negari non potest. Quòd autem hæc aqua, sale conspersa aut mixta, homines *aspergi* dicuntur, non minùs ad sensum patet. Applicationem aquæ ad subjectum aliquod denotari, clarum est. Eandem non fieri per immersionem; verùm huic ad-



sperſionem contradiftingui, nemo non intelligit. Sanè & vafa, aquam luſtralem *applicantia*, à *continentibus* aquam, diſtingui; & *hæc* quidem aquaminalia, aut aquaminaria, labra, malluvia, pelves, favillaſ, præfericula &c. *Illæ* verò adſpergilla atque adſperſoria dici conſueviſſe, ex *Rofino* & *Phil. Caroli* de Antiq. Rom. *Stuckio*, & *B. Sauberto* de Sacrificiis, *Guil. de Choul* lib. Gall. de la Religion des Anciens Romains Lugd. A. 1567. i. e. de Religione antiqua Rom. aliisque novimus. Aſperſio ipſa verò in Eccleſia Romana, non tantùm fieri ſolet mediante aſpergillò communi, tanquam instrumentò, quò multis ſimul aqua benedicta applicari poteſt & ſolet; verùm etiam digitis ſingulorum, (qui ſuperſtitionem amant) aquæ in labro aut malluvio contentæ immiſſis, quibus ipſi guttulas adhærentes ſibi conferunt. Itaque nec his tradendis inhærebimus diutius.

§. XVI. Formam ritûs, circa aquæ falſæ adſperſionem occupati, in benedictione conſiſtere diximus. Sic enim expreſſè auctor decreti: *Aquam ſale conſperſam populis benedibimus.* Eſt autem *benedicere* hoc loco idem, ac conſecrare aliquid, aut ſanctificare. Nam quòd aliàs Deum aut Deo homines benedicere dicuntur, ac Deus hominibus aut homines benedicere; id ad præſens non pertinet. Cæterùm & Græcis τὸ εὐλογεῖν & τὸ ἀγιάζειν, ἀγιασμός, & εὐλογία frequenter idem ſignificant: uti & Hebræis nomina שִׁירָה & בְּרַכָּה: quod pluribus oſtenderunt *Iſ. Caſaubonus* Exercit. Baron. XVI. n. XXXIII. p. m. 518. edit. Lond. & *H. Grotius* Not. ad *Matth.* XXVI. v. 27. ubi & aquam baptiſmalem, benedictam, panem Eucharifticum benedictum, à Patribus appellari, memoratur.

§. XVII. Pontificii inter benedictiones *conſtitutivas* & *invocativas tantùm*, diſtinguunt: uti apud *Cajetanum* 2. 2. q. 88. a. 11. *Navarr.* Comment. de ſpoliis Clericorum. §. 18. num. 9. *Suarez.* T. 1. de relig. tr. 3. lib. 4. de Simonia c. 14. num. 1. videre licet: quos ſequitur *Laymannus* Theol. Mor.

Moal. Lib. V. Tr. IX. Cap. XIII. num. 4. p. m. 345
 Dicunt autem benedictiones Constitutivas, quibus res sacra constituuntur, ut ad usum profanum sine irreverentia applicari non possint. Invocativas tantum, quibus res sacra non constituuntur, neque ab usibus profanis secernuntur, sed adhibentur tantum ad invocandum speciale Dei auxilium, circa presentiam vel usum talium rerum. Posteriore modo benedici cibos, domus, quæ ad usum profanum adhibentur. Ad priorem pertinere aquæ, olei, & similibus rerum, consecrationem. Nec negandum est, fideles piosq; homines, precibus ad prandia cœnasque utentes, hoc sensu benedicere cibis ac potibus suis, qui tamen non ideò communi usui subducuntur, aut pabulum corporis vulgare esse desinunt. Sed de his nobis h. l. laborandum non est: quando benedictionem aquæ, de quâ quærimus, esse constitutivam rei sacra agnoscunt Pontificii, & monent, & inculcant. Annon autem in benedictione, quam invocativam tantum vocant, similiter superstitionis rei sint Pontificii? post paulò, datâ occasione videbimus.

§. XIIX. Equidem & personarum non minùs, quàm rerum, benedictionem tradi solere novimus: prout Laymannus l. c. p. 345. ad priorem refert Abbatum, virginum, viduarum, sponzorum, item, quæ super populum fiunt, benedictiones: posteriorem etiam ampliorem facit; esse videlicet aquæ, vini, olei, ceræ, domus, navis, vestium, vasorum, altaris, Ecclesiæ &c. quâ postremâ notâ indicat, plures dari res, benedici aut consecrari solitas. Nam & herbas, campanas, ignem, & alia similiter ab illis tractari, notum est. Et videri possunt, quæ sub titulo *de Magica & superstitiosa Benedictione & Consecratione creaturarum sub Papatu*, collecta exhibet Joachimus Ursinus, qui se Antijesuitam scribit, in libello Ambergæ edito A. 1610. quem vocat *Jesuitici Templi stupenda* pag. 285. seqq. ad 332.

§. XIX. Nobis, dum aquæ benedictio negotium fa-

cescit, notanda est varietas, hinc quoque occurrens. Nam & *Guil. Durantes* (sive *Durandus*) Episcopus Minatensis in *Rationali divinorum offic.* L. IV. Cap. IV. fol. 49. b. edit. Argent. A. 1493. quatuor genera aquae benedictae recenset. Primam dicit, in qua fit iudicium purgationis: (& videtur respicere ritum Judaicum, in casu Zelotypiae, ubi mulier suspecta aquam, sed maledictam potius, quam benedictam, bibere iubebatur) quae in usu amplius non fit. Secundam aquam, quae sanctificatur in dedicatione ecclesiae & altaris. Tertiam esse, quae in ecclesiis asperguntur homines. Quartam, aquam baptismi, non tamen ejus, quod initiantur homines, sed quae solebant aspergi, priusquam chrismententur: quod suo tempore adhuc factum sit in quibusdam locis; interdictum tamen: quia putaverint se iterum à peccatis hujus aquae aspersione mundari: cum tamen constet, nullam bis baptisari posse. De tertia igitur, & nos juxta ipsum praecipue agemus: licet & secundae interdum mentio sit facienda.

§. XX. Sic autem jam primum observari debet modus ille benedicendi, qui & exorcismo constat & invocatione Dei, ad virtutem novam aquae conferendam: quodque aquae & salis exorcismus seorsim fit: & praeter preces etiam signaculo crucis perficitur. Sanè etiam *Amalarius Fortunatus*, *Trevirensis Episcopus*, de *Eccl. Offic.* Lib. I. Cap. XXV. modum consecrationis aquae descripturus, *Primò* ait, minister oratione mundat & serenat habitaculum hospitis, qui Deum debet suscipere. Tum ipsum Hospitem alloquitur, & gratias agit, quod voluerit in tam humile hospitium descendere. Recolit miracula per Aquam facta. Expellit deinde Diabolum ab aqua. Aquam munit signo Crucis. Prima benedictio est: *Benedico te Creatura aquae per Deum vivum, qui te separavit ab arida. Secunda: Benedico te per Jesum Christum, qui te in Cana Galilaeae convertit in vinum. Spiritus S. oratur, ut aquas etiam purificandis mentibus efficaces reddat, & veniat ideò in Naturam aquae. Descendat in hac plenitudine Fontis virtus Spiritus*

Spiritus tui &c. Usitatio autem formula exorcizationis ac benedictionis salis & aquæ non solum in Pontificali Romano edit. Venetæ fol. 107. 108. sed & Missalibus Pontificiis communibus, & nominatim in Missali secundum ritum Augustensis Ecclesiæ sub Henrico Episcopo A. 1580. fol. 10. sequentem in modum extat. Incipit exorcismus salis: Exorcizo te creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Helisaum Propheetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersum fueris, omnis fantasia vel nequitia & versutia diabolica fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Sequitur Oratio: Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene † dicere ac sancti † ficare tuâ pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitie per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Resp. Amen. Aquæ exorcismus talis est: Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa † tris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Fi † lii ejusdem, Domini nostri, & in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas, cum Angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui &c. ut antea. Sequitur & hæc oratio: Deus, qui ad salutem humani generis, maxima quaque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus preparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abjicien-

dos



dos demones morbosque pellendos divina gratia sumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hac unda asperferit (resperferit, legunt alii) careat omni immunditiâ, liberetur à noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidia latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aqua effugiat, ut salubritas per invocationem tui sancti nominis expetita, ab omnibus sit expugnationibus (alii habent, impugnationibus) defensa, per virtutem Domini nostri &c. uti supra. Mixtio deinde Salis & Aquæ benedictæ fit adhibitis verbis: *Hac commixtio salis & aqua efficiatur salutare sacramentum, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Accedit oratio: *Deus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expungas, te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis & aqua dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ more, sanctifices, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abjiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur.* Denique ipsi aspersioni aquæ benedictæ nova, jungi jubetur Oratio: *Presta nobis, quæsumus Domine, per hujus aspersionem aquæ, integritatem mentis, sanitatem corporis, tutelam Salutis, securitatem spei, corroboracionem fidei, hic & in aeterna secula seculorum.*

S. XXI. Enimverò exorcismi illi non obscure ostendunt sententiam Pontificiorum, quasi creaturæ aquæ & salis non-consecratæ potestate inimici sint infectæ & incursione dæmonum contaminatæ, aut obsessæ ab illis, qui demùm per adjurationes istas sint expellendi & creaturæ liberandæ. Quid enim aliàs sibi volunt verba illa: *Exorcizo te, creatura salis, ut efficaris sal exorcizatum. Exorcizo te creatura aqua, ut fias aqua exorcizata.* Quibus respondet, quod aliàs adhibent: *Exor-*

Exorciso te, omnis virtus Diaboli, ut omnis fantasia eradicetur & effugetur ab hac creatura aqua &c. Atqui ista olim fuit *Tatiani, Manetis & Manichæorum ac Priscillianistarum* improba opinio, cum quibus in eodem luto hæere Pontificios, quantumcunque à se culpam illam amoliri conentur, pridem est, quod observârunt nostri: certè abusum istum, nominis divini ad ejusmodi incantationes & exorcismos rerum à Deo conditarum, quæ bonæ sunt, severè castigârunt. Vidd. *M. Chemnitius Exam. Conc. Trid. P. IV. p. m. 168. seqq.* Auctores tract. de *Causis recusati Conc. Trid. Caus. VIII. p. m. 119. seqq. C. W. Platzius Luc. Succ. Err. Pont. Loc. XCVIII. p. 603. J. Heilbrunn. Pap. Acatol. Art. XIX. P. III, cap. II. p. 759. Arn. Mengerling. Inform. Conscient. Evang. Dom. VII. Trin. P. II. Q. I. p. 651. Lud. Dunte Decis. Cas. Consc. Q. 44. p. 229. 230.*

§. XXII. Equidem, quòd Noltrates Pontificiis objecerunt locum *i. Tim. IV, 4.* quò dicitur, *Omnem creaturam Dei bonam esse:* indeque concludunt, non esse illas *Dæmonum* vi ac potentiâ inquinatas: mox illi ex adverso provocant ad verba proximè sequentia; *Sanctificatur enim per verbum Dei:* quasi videlicet hîc intelligatur verbum illud exorcismorum, per quod, *repressâ Dæmonum potestate,* cui *permisæ sint creaturæ, usibus hominum servientes, per peccatum;* res illæ reddantur utentibus salutares. Sic enim *Guil. Estius Comm. ad h. l. p. m. 772.* sic etiam *Jac. Kellerus* in *Pap. Cath. & apud Zæra. in Contin. Pap. Acatol. p. 885.* Sic & *Guil. Bailius* in *Catech. Controv. Tract. II. Q. XVII.* Verùm hoc est, in re sacra ludos facere: quasi non detur verbum Dei, quò sanctificari queant creaturæ, nisi quod ad magicæ consecrationis formam compositum est. Quodsi vel ipsos, qui in Ecclesia Romana sunt, Doctores consulamus; præstò erunt, qui per verbum Dei *i. c. Filium Dei,* qui est verbum Patris, intelligunt: uti *Glossa ordinaria,* quam vocant, testatur. Alii verbum, quò factæ sunt creaturæ, intelligentes, *ὑποστατικὸν* sit? an *πρωφορητικὸν;* non exprimunt. Vid.

C

Ema-



Emanuel Saa in notis. Alii verbum exponunt de ipsa fide: quod nec difficitur *Estius*: & *Claudius Guillaudus*, Doctor Sorbonicus, agnoscit, illud denotari, quò credimus nihil amplius commune & immundum dici. Qua tamen ratione dici posset, intelligi verbum *revelationis*, quod est principium fidei: prout Nostratum aliqui huc referunt verbum *donationis*, quò Deus manum quasi aperiens, usum creaturarum hominibus concessit; & verbum *declarationis in Novo Testam.* quo sublatum est discrimen illud mandorum & immundorum, & omnia mundis facta sunt munda. Itaque hæcenus apud Paulum nihil est, quod exorcismos illos probet aut fulciat. Nam & illud nihil est, quod *Estius* ex *Rom.* VIII. v. 20. ubi *creatura* dicitur *vanitati subjecta*, colligit; eam esse in *potestate* Diaboli, *principis mundi*. Neque enim consequentiam probat. Et reverà aliud est, Satanæ certo modo competere dominatum mundi: aliud, Satanam & Angelos ita creaturis inesse, aut adherere, ut hæ non possint tutò usurpari, nisi per certos ritus atque adeò exorcismos malus Dæmon expellatur.

§. XXIII. Attamen nec patiuntur Pontificii, si dicatur, Paulum loqui de oratione & precibus fidelium quorumvis, ad usum creaturarum licitum piæque spectantibus: *Apostolum* enim loqui de *benedictione*, quam homo in quasdam creaturas effundat, certis *precationum* formulis bonitatem Dei implorando, ut *creaturam benedictam* certâ quâdam virtute ac privilegiò donare velit. Quæ verba *Guil. Bailii* sunt l. c. Verùm hoc est petere id, quod est in principio: ac propterea tamdiu rejicitur, donec firmitus probetur. Quod tamen frustra expectabimus.

§. XXIV. Nostrates autem ex adverso etiam rectè monent; preces ac benedictiones omnes, ut congruè & cum effectu fiant, juxta voluntatem Dei fieri debere, eam quidem, quæ in verbo Dei est revelata: Itaque non esse, ut orando aut benedicendo certam virtutem certaque privilegia impetrare studeamus creaturis, quæ Deus illis, aut per illas, largiturum se

se nusquam revelavit aut promisit: Hoc enim potius idem fore, ac, tentare Deum, & abuti nomine ejus. Graviter, more suo *B. Lutherus* Conc. II. de Pædobaptismo Tom. VII. Altenb. p. 440. a. Hier soll man fragen; Lieber/ wo? und wer ist der Stifter/ der solches geheissen habe? hastu auch ein Wort oder Befehl Gottes/ so da sagte das soltu thun? So soltu Salz oder Wasser weihen / und solche Wort darüber sprechen/ wo solch Wort nicht ist / da ist und gilt nichts/ was man sonst für Zeichen und Wort braucht/ das auch die Tauffe ohne dieses kein Sacrament wäre/ ob gleich beyde Wasser und Wort darüber gesprochen wäre. Quod autem benedictiones illæ etiam steriles sint, nec obtineant, quod Pontificii jactant; infrà, ubi de efficacia aquæ benedictæ agendum erit, dispiciemus.

§. XXV. Jam tamen & illud paucis expendemus, quomodo benedictionem istam suam adversarii probent ex Scripturis, & quidem (1) exemplo Christi, qui panibus septem benedixisse legitur *Marci* VIII. v. 6. Præ aliis in hoc argumento urgendo verbosus est *Thomas Stapletonus* Promptuar. Cathol. pag. 287. Sed quis non videt disparitatem factorum, uti ipsarum personarum? Quanquam enim, juxta exemplum Christi, cibus sumendis precatio, & hõc sensu benedictio, rectè præmittatur: quod & nos facimus: hîc tamen quæritur, partim de exorcismis creaturarum, quæ benedicendæ putantur; partim de benedictione ad consequenda certa privilegia: uti ex dictis constat. Quorum prius alienum est à facto Christi: posterius, si maximè pro ratione miraculi affirmetur, non tamen æquè in imitationem trahi potest aut debet.

§. XXVI. Afferunt autem etiam (2) locum *Marci* XVI, 18. ubi Christus de Apostolis suis: *In nomine meo*, ait, *ejicient demonia*: quasi videlicet vi horum verborum, tanquam ex voluntate, & jussu Christi, ex creaturis, aqua & sale, & per has porrò ex rebus ac locis aliis ejici debeant dæmonia,



nia. Vid. Keller. Pap. Acath. l. c. Sed quis non videt futilitatem consequentiæ (1) ab eo, quod in Ecclesia plantanda locum habiturum erat, ad Ecclesiam plantatam. (2) ab ejiciendis dæmoniis, sicubi in hominibus obsessis deprehenduntur, ad ejectionem dæmoniorum ex aqua & sale, quibus non insunt: (3) ab actu, in nomine Christi præstando, ad formulas illas humanarum constitutionum, per media non ordinata, & ad effectus nusquam promissos.

§. XXVII. De signo Crucis, quod in benedictione salis & aquæ adhibent Pontificii, notamus, esse quidem signum ipsum in se ceremoniam liberam, & quando fit per modum confessionis fidei nostræ, aut tanquam commonefactio crucis Christi, per quam regnum & opera diaboli destructa sunt; non improbari à nobis: Quòd autem in conservatione rerum illarum ad usum à verbo Dei alienum usurpatur, id quidem probari non posse. Prout nec efficaciam signo illi talem, tantamque, qualem & quantam ei tribuunt Pontificii, agnoscimus: de qua suo loco.

§. XXIX. Intercà vel paucis attingenda est quæstio inter ipsos Pontificios agitata: *Utrum aqua hæc benedicta sit sacramentum? annon?* Quanquam enim expressè vocetur *sacramentum* in formula consecrationis, suprâ §. XX. exhibitâ; tamen Azorius P. II. Theol. Mor. Lib. IX. C. XV. p. 1545. confidenter scribit; esse *communem sententiam Theologorum, non esse sacramentum*: etsi simul ipse disputet, esse *aliquid sacramentale*. Nimirum inter septem illa sacramenta, quæ vulgò celebrant, non numeratur aqua benedicta, quoadusque à baptismali distinguitur. Et Azorius etiam rationes addit, quare aqua illa non sit sacramentum; *quia, ait, gratiam non confert, nec delet lethalia peccata*. Atqui nec Matrimonium in conjugatis, neque Ordo in ordinatis peccata lethalia delet: quæ tamen Pontificii pro sacramentis propriè dictis habent. Unde ipsi sibi parum constare videntur. Nam & de *gratia conferenda per sacramentum*, valdè variant: utrum per eam intelli-

gi



gi debeat gratuita reconciliatio, remissio peccatorum & acceptatio ad vitam æternam? an effectus gratuitus qualiscunque? Scilicet nota est distinctio inter gratiam *gratis datam*, & *gratum facientem*. Quanquam h. l. ubi Azorius cum *gratia* conjungit *to delere peccata lethalia*, nomine gratiæ *justitiam* habituales intelligere videatur; quæ nos Deo gratos faciat: prout *gratia* & *justitia* nomina in doctrina de Sacramentorum efficacia haud rarò à Pontificiis permutantur. Sic autem redit quæstio: Utrum, stante sententiâ de septenario numero sacramentorum, ad omne sacramentum, velut ex natura communi sacramentorum, requiratur, ut gratiam illam, seu justitiam habituales conferat? Quòd si verò etiam ad verbum *conferre* attendamus, notum est, quòd Doctores quibusdam Pontificiis sufficiat ad sacramentum, si *significet effectum gratuitum à Deo conferendum*: ita ut dicantur sacramenta *conferre gratiam, non quia ipsa producant ullo modo illam; sed quia ipsis adhibitis Deus ex pacto & promissione quadam gratiam producat & conferat*. Ita enim Bonaventura in IV. Sent. D. I. art. I. Q. IV. & Scotus D. I. Q. IV. & V. Verùm hâc ratione non immeritò jam pridem B. Martinus Chemnitius: *Si, inquit signum significans effectum Dei gratuitum efficaciter, est sacramentum: quomodo non erunt sacramenta benedictio Monachorum, Aqua benedicta, Rosa benedicta, Ensis benedictus, Agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum imaginum, inunctio regalis, consecratio templi, cæmeterii, altaris &c. Illa enim sunt certis consecrationibus, & finguntur habere spirituales effectus. Aliquid quidem respondent scholastici, aliud aliud. Sed tamen nec se ipsos expediunt, nec lectoribus satisfaciunt.*

§. XXIX. Rectè etiam Gabrielis Bielii ingenuitas à Chemnitio probatur, qui dicit, *aquam benedictam non esse sacramentum, quia desit divina institutio*. Locus habetur in IV. Sent. D. I. Q. I. a. I. Sed eodem jure etiam concludendum erit, *aquam benedictam non esse aliquid sacramentale; quia desit divina institutio*. Quando enim juxta Azorium



l. c. aqua benedicta dicitur *quid sacramentale*, quia nos aliqua ratione sanctificet, eò quòd mundet à venialibus noxis, & quodammodo preparat ad sacramenta recipienda, quatenus arceat demones & eorum nequitiam reprimat & dissolvat insidias: profectò dubium nasci necesse est, an, si desit divina institutio, præstare talia possit Aqua benedicta, atque adeò esse aliquid sacramentale?

§. XXX. Equidem Ecclesiæ auctoritatem hinc præ-tendent adversarii: quò nomine Romanam suam intelligunt. Verùm & hoc est petere id, quod est in principio. Neque enim, præter Dei voluntatem revelatam, media gratiæ constituendi facultas Ecclesiæ competit: Neque, quod veræ Christi Ecclesiæ convenit, idèò arrogare sibi potest Alexander, aliquis, aut Curia Romana, quasi Ecclesiam, eamque universam, perfectè repræsentet.

§. XXXI. Jam olim à B. Heilbrunero objectum fuerat Pontificiis; ritum illum exorcisandi salem & aquam, divinâ institutione destitutum, & tamen pro opere cultûs divini ac mediò gratiæ habitum, pro sacro haberi non posse: sed adversari præceptis divinis, primo & secundo. Kellerus itaque per instantiam satisfactorius argumento: *Nonne*, inquit, *Deum colis cum auditò nomine ejus pileum moves? Quare igitur dicendus eris contemnere, quando in honorem ejus aquâ consecratâ te conspergis?* Responsio autem facilis est, si notemus differentiam inter ritus, qui non nisi reverentiæ aut devotionis internæ testandæ causa fiunt, sine respectu ad consequendam per eum gratiam, aut beneficia corporalia vel spiritalia; & inter ritus, qui cum tali respectu, sive sub opinione singularis cultûs & efficaciam celebrantur. Nempe ad prioris quidem generis actus sufficit generale mandatum de honore non tantum animò, sed & signis externis congruis, Deo exhibendo: posteriores, quando præcepto Dei destituuntur, utique, in vitio ponendi sunt: nequaquam autem pro actibus sacramentalibus habendi.

§. XXXII.

§. XXXII. Sed jam ordo tractationis postulat, ut cui bono ritum illum aquæ benedictæ receperint, ac servant & commendent Pontificii, distinctius consideremus. Quamquam enim aliqua velut obiter dicta sint haec: tamen operæ pretium est, paulò accuratiùs hîc attendere. Pertinet autem huc decreti nostri prima periodus: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur.* Quibus verbis *Finis Cui & Cujus*, ut scholæ loquuntur, designatur: Ille quidem, eum *populorum* fit mentio; Hic verò verbis *sanctificandi & purificandi.* Populus inquam, aut populi, sunt subjectum illud, in cuius gratiam benedicenda dicitur aqua; cui applicari per asperisionem debeat aqua, ad bonum aliquod inde consequendum. Ipsa verò sanctificatio & purificatio sunt bonum illud, cuius obtinendi causa & benedici aqua debeat, & benedicta aspergendo communicari populis.

§. XXXIII. Ac *populi* quidem nomen, quò hominum multitudo intelligitur, nihil habere videtur difficultatis. Aliàs autem, & per experientiam patet, non tantùm multitudinem aliquam collectam simul, velut unò asperisionis actu; verùm etiam singulos seorsim, ad participationem aquæ consecratæ admitti. De eo tamen quæri poterat, annon latius pateat subjectum, cui aqua illa applicatur; quàm ut populi, homines solos complectentis, ambitu terminetur? Nam & pecora & herbas & domos, supellectilem, altaria, templa, cœmeteria &c. conspergi solere aquâ consecratâ novimus: quemadmodum in ipso decreto *sterilitatem rerum, rerum, inquam, quæ homines non sunt, auferre dicitur aqua sacrata.* Et Azorius l. c. docet, *aquam in Ecclesia sacrari, benedici & adhiberi, ad asperisionem non solum hominum & domorum, verùm etiam quarumlibet rerum venientium ad usum nostrum.* Itaque & hæc omnia *sanctificari & purificari* dicenda erunt: quòd nec negaverint, opinor, Pontificii; quamvis aliter homines, aliter res ratione carentes atque etiam inanima-

tas sanctificari dixerint: de quo mox videbimus. Et fortasse ideò non tam res ejusmodi, quàm homines, Finem Cui hujus ritus sacramentalis, (vel quasi,) esse perhibebunt adversarii, quia quicquid mediante aquâ benedictâ in res alias confertur, id in usum populi destinatur; ideòque non tam illarum, quàm hujus causa & bono fieri solet.

§. XXXIV. De ipsis verò hominibus notandum, quòd non tantùm adulti & valentes, ad sacra publica celebranda accedentes, sive in ipso aditu, præ foribus templi, sive intra templum; (quod in vulgus notum est:) verùm etiam infirmi seu ægroti, puerperæ, imò & cadavera hominum mortuorum aquâ falsa & benedicta conspergi soleant. Sic enim *Discipulus de tempore serm. IIo. Bonum est habere aquam benedictam circa lectum & circa mulieres, quæ jacent in puerperio, & maximè circa infirmos, qui sunt sæpè aspergendi aquâ benedicta ad effugandum phantasma demonum.* Et in *speculo Ordinandorum* cap. 24. pag. 10. hæc legimus: *Aquâ lustrali asperguntur cadavera hominum, ne Demones corpora fidelium accedant.* Nec tantùm his, qui sunt, aut fuerunt in Ecclesia, aquam donant; sed & his qui extra Ecclesiam sunt. Certè *apud Sinenses, Ethnicos* non minùs, quàm *Neophytos*, aquâ lustrali conspergi solere ad depellendas ægri tudines; testis est *Nic. Trigantius Annal. Rer. Japon.* p. 73. edit. Aug. Vindel. A. 1615.

§. XXXV. *Sanctificationem* ipsam quod attinet, tanquam *Finem Cujus*, seu bonum hòc ritu observatò obtinendum; ea respectu hominum non una & simplex, sed varia & multiplex esse perhibetur.

§. XXXVI. Generale est, quod dicit *Marsilius Columna*, esse eam *egregium planè salutis medium, auferens impedimenta gratiæ.* *Hydragiol. Sect. III. Cap. 2. §. 2.* Atque eò communiter refertur, quod *deleat venialia peccata.* vid. *Discipulus de Temp. l. c. Bellarm. L. III. de Cultu SS. cap. VII. §. Nota &c. Azorius P. I. Instit. Mor. L. IV. Cap. XI. Q. IV.*

p. III.

p. m. 250 b. *Greg. de Valent. T. IV. Disp. VII. Q. IV. P. I. pag. m. 1634. C. Costerus* autem Lib. de Sodal. B. Virg. p. 333. hac utitur phrasi, quod *remittat peccata venialia*. In decreto Alexandrino dictum est; *sacratum salem inquinatos sanctificare & purgare*. Quod licet indefinite dicatur, non tamen generaliter intelligunt, neque de peccatis mortalibus exponi patiuntur, sed ad venialia restringunt, Glossator & auctores citati.

§. XXXVII. Præterea autem statuunt Pontificii, aqua illa benedicta *spirituum immundorum spurcitiam de cordibus fidelium propelli*: *Durand. Lib. IV. Rational. cap. IV. atque adeo defendi nos à crebris malarum cogitationum incurfibus*: *Azorius P. II. L. IX. Cap. XV. p. 1546. Phantasmata prava in oratione & aliis temporibus excludi*: *Costerus l. c. Contrà autem mentem à terrenis rebus colligi, ac disponi ad devotionem; & preparari, ut rectius divina mysteria peragat; juxta eundem; vel, ut Azorius loquitur, excitari mentis humanæ affectum ad pietatem & religionem erga divina*. Quod uberius declaraturus *Benzonius*, docet, esse medium *quietans intellectum ab illusionibus Dæmonum, cordis tractum temperans, mundans & disponens cor ad benè orandum, disponens ut devotè exerceat mysteria divina, & dignè suscipiat res sacras*. de Anno Jubil. L. IV. cap. 7. p. 432.

§. XXXVIII. Nec tantum animæ humanæ in spiritualibus prodesse aquam falsam & benedictam, perhibent: verum etiam corpori, ad sanitatem recuperandam, ac morbos depellendos. Quamvis enim quod supra §. XXXIV. ex *Discip. de temp.* observavimus, de usu aquæ, quem puerperis & infirmis præstet, ad phantasmata Dæmonum abigenda solum spectet; attamen & in Formula illa exorcismi & benedictionis expressè mentio fit *salutis corporis*, per aquam illam obtinendæ; & *Bellarminus L. III. de Cultu SS. c. VII. ad curandos morbos* usurpari eam, verbis ipsis affirmat: & *Costerus l. c. infirmitates corporum, ne invadant, præcaveri, & ubi occupaverint, præcurari*; ita concedi sanitatem, mentis non solum,

D

sed

sed & corporis, jactat. Imò & morborum hoc beneficio pellendorum mentionem facit Formula exorc. & benedict. sæpè memorata. Apud Sinenses aquam lustralem ad depellendas agritudines singulare prasidium esse, narrat Nic. Trigautius Annal. Rer. Japon. p. 73. Nec negligendum est, quòd fecunditatem conjugibus hinc pollicentur: certè quod in decreto nostro dictum est, *salem sacratum auferre humanarum rerum sterilitatem*; id Costerus l. c. de curanda sterilitate ipsorum hominum interpretatur.

§. XXXIX. Quod ad ea, quæ extra hominem sunt, usui tamen humano aut serviunt, aut nocent, attinet; non minùs liberales sunt Pontificii, in promittendis multis magnisque commodis, ac arcendis quibuslibet malis ac damnis. Sane Decretum nostrum, præter ea, quæ modò recensuimus, & cetera bona, addit, *multiplicat, & insidias Diaboli avertit*. Sic ergo non tantum causam malorum inhiberi, atque ita indirectè commoda hominum aliàs surripienda aut præpediendi promoveri; verùm etiam alià & directà viâ, procurari ea docent. Ad prius pertinet, quod in Form. exorc. & bened. oratur, *ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc aqua asperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidia latentis inimici; & si quid est, quod aut incolu- mitati habitantium invidet aut quieti, asperstone hujus aquæ effugiat*. Unde etiam Costerus scribit, *noxium ærem eâ purgari, depelli pestem & omnem contagionem*. Ad posterius pertinet, quod Costerus inter corporalia beneficia ubertatem bonorum per aquam illam impetrari, perhibet: nimiram ut *jumenta multiplicentur, ut agrorum proventus sit amplior, quod ex contextu, & vi oppositionis ad sterilitatem rerum auferendam, facile colligitur*.

§. XL. Ecce! autem exempla atque adeò testimonia efficaciam istius atque utilitatis tam grandis, aquæ lustralis, à Pontificiis memorata: simul tamen censuram jactatorum miracu-

racu-



raculorum necessariam. Per aquam, crucis signaculo benedictam, magias & incantationes mali demonis depulsas fuisse, testatur Epiphanius haeres. XXX. Palladius in historia Lausitica c. 19. & 20. scribens de S. Macario Eremita, Theodoretus in historia Patrum in Macedonio: allegante hæc omnia Laymanno P. II. Th. M. Tract. IX. Cap. XIII. §. 1. p. m. 344. a. qui etiam §. 12. p. 348. b. hæc subjungit: *Miracula facta per aquam benedictam legere potes apud Theodoret. Lib. V. cap. XXI. Gregor. I. L. I. Dialog. cap. 10. S. Bernardum in vita S. Malachie & plura apud Jacobum Gretserum Lib. II. de benedictionibus cap. 10. Similiter Colonenses in suo Antididagmate, ad commendandam aquam Lustricam, miraculum proferunt ex L. IX. c. XXXIV. Tripartita historiae, de aqua à Marcello Apameensi Episcopo precibus & signaculo crucis sacrata, quâ effectum sit, ut Cacodæmon templi Jovis destructionem impediturus abigeretur, magnâque facilitate templum combureretur: Item ex Euseb. L. VI. H. E. cap. VIII. de Narcisso Hierosolymorum Episcopo, qui aquam precibus consecratam in vigilia Paschatos, oleo deficiente, lampadibus infundi jussit, eò successu, ut aqua in oleum mutaretur, ac nocte tota lumen in lampadibus foveretur. Jactatur etiam ex Vincentii speculo Lib. XXV. cap. LXXXVII. quòd Monachi Ibericeltumbensis cœnobii fœtorem teterrimum, ex fulminis ictu ortum, aquæ consecratæ aspersione abegerint: ex Alb. Crantzii Vandalia L. V. c. XLII. de Evermodo, Rasesburgi Episcopo, qui in die Paschæ captivos aliquot miraculosè liberaverit, dissolutis aquâ benedicta adpersâ catenis. De S. Bonifacio P. Cutsemius in Historia p. 18. b. memorat, quòd per stridentes flammorum globos ingressus, illæsus extiterit, cum prius aquâ sanctificata & incenso thure undique perlustrasset ignis struem. Plura videri possunt apud Surium in vitis sanctorum: apud Kellerum in Pap. Cathol. loc. cit. apud Nic. Trigautium L. IV. de Christ. exped. apud Sinas cap. VIII. Sanctium ad Tobiam p. 201. aliosque.*

D 2

§. XLI.



§. XLI. De quibus ut, quod res est, appareat, *alia* quidem non attinere ad aquam lustralem; ac proinde aliena esse à statu quæstionis; *alia* incerta & fabulosa; *alia* denique ad efficaciam erroris & superstitionum referri debere, monemus.

§. XLII. Ea profectò, quæ ex *Eusebio & Historia Tripartita* memorabantur, non docent, aquas illas fuisse lustrales. Extraordinaria & singularia planè fuerunt, quæ non ideò in materiam legis, ad instituendum talem ritum, abire debebant, si fortè ad Christianæ religionis commendationem mediis ejusmodi uti aliquando placuerit Deo. Tale autem etiam est, quod *Epiphanius* l. c. narrat, de accenso igne (quem hostes Christiani nominis, magicis artibus inhibuerant) per aquam, precibus, sed absque exorcismo, sacratam. Unde non habemus, quod trahatur in morem aut legem. Nam nec ideò, quod Deus asinam Bileami loquacem reddidit, quâ is contumaciæ argueretur; propterea mos in Ecclesia invalebit, quo asini consecrentur, ut fiant monitores Doctorum in Papatu, si quando hi inobedientes Deo fuerint. *Theodoretus* Historia Patrum non est incorrupta: quod & *Gentianus Herverus* agnovit, & monuit, in Theod. T. II. fol. 468. *Palladium*, Historiæ Lausiacæ auctorem, ab Hieronymo Ep. ad Ctesiph. & Epiphanio, Epist. ad Joh. Hieros. T. II. Opp. Hieron. reprehensum novimus. *Gregorii M. Dialogos*, ipso *Possevino* teste, *viri quidam docti Gregorio II. tribuunt, qui 125. annis Gregorio I. junior est.* Certè fabulosa multa in eis notarunt multi. *Italicis prodigiis plenos esse, nec in orationis genere, nec in rebus ipsis cum Gregorii reliquis scriptis congruere,* monuit *B. M. Chemnitius* Or. de Lect. PP. De iisdem quoque & *Bedæ* scriptis non contemnendum est quod *Melch. Canus* notavit Lib. II. LL. CC. cap. VI. p. 640. *In historia Anglorum (ut & in dialogis Gregorii) quedam miracula adnotantur, vulgò jactata & credita, quæ hujus præsertim seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum*

rum autores juxta præfinitam normam severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent. De Bonifacii autem ausu, non desunt, qui tentationem Dei fuisse judicârunt: quod non minùs de aliis dici potest.

§. XLIII. Caterùm, quæ sub Papatu, ad ipsam Aquæ benedictæ commendationem contigisse feruntur miracula, quamvis non dubitemus, multa esse conficta & falsa; si tamen aliqua, uti memorantur, acciderint; nos, qui superstitionem in actibus ejusmodi & abusum nominis divini cognovimus, non possumus non meminisse monitorum, quæ de observandis mendacibus signis & prodigiis, cavendâque credulitate intemptiva, non minùs graviter quàm benevolè suo tempore dederunt ac nobis reliquerunt, Christus *Matth. XXIV, 24.* & Paulus II. *Theff II. 13. 14.* Nam & Satanas interdum simulare potest, se hoc aut illo opere affigi, quò tamen delectatur; &, ut homines in talibus frequentiores ac studiosiores porrò sint, inducere nititur. Quod jam olim monuit B. *Lutherus*, præfat. *Historiæ de Virgine Moniali divinitùs liberata. Tom. II. Altenb. pag. 516. b.* Nec de nihilo est, quod B. *Zæmannus* Jac. Kellero objecit: Si adeò torqueatur, tamque efficaciter fugetur Satanas per aquam benedictam, quemadmodum perhibent Pontificii; unde fit, quod in ipso Papatu, inter sacra Missarum, signationis crucis, asperisionis aquæ lustralis &c. nemo majorem præ se fert devotionem, quàm sagæ, quæ Diaboli mancipia sunt? quodque ipsi sacrificuli, quorum ista maximè negotia sunt, haud rarò cum Satana pactum habuisse & coluisse; aliqui etiam, prout eò tempore exemplum triste & horribile extabat, infantes admodum multos in nomine Diaboli baptizasse, deprehensi fuerunt. l. c. pag. 889.

§. XLIV. Quamvis verò, his observatis, jactata illa aquæ lustralis efficacia, facilè in vaporem abeat, aut per ærem dissipetur; hîc tamen etiam considerabimus, *Quò Modo* aut ratione eam aquæ illi competere putent & doceant



Pontificii. In Decreto nostro nihil expressè definitur. Doctores autem disputant: *Utrum aqua, cum sanctificatur, imprimatur aliqua virtus inherens?* Et Azorius respondet: *Habet virtutem divinam assistentem tantum, non inherentem, sanctificandi, purgandi &c.* P. II. Lib. IX. Aliàs autem injuriam sibi fieri queruntur, si quando sententia sua sic accipitur, quasi eam vim aquae benedictae per se tribuerent. Vid. Greg. de Valent. in Opusc. Lib. II. de Sacrif. Missae Cap. V. p. 629. 2. a. b. Kellerus l. c. & apud Zeemann. p. 884. Aliquando etiam apertè fatentur, effectus ejusmodi, quales ab ipsis jactari antè vidimus, non consequi ex opere operato infallibiliter. Bellarm. L. III. de Cultu SS. c. VII. Suarez. P. III. T. III. Disp. IV. s. 4. Aegid. Coninck. P. III. Q. LXXI. a. 3. dub. un. concl. 2. & hos secutus P. Laymann. Theol. Mor. L. V. Tr. IX. Cap. XIII. p. 344. 345. Addunt etiam rationem, quare effectus illi non sint certi atque infallibiles: quia videlicet nullam specialem Dei promissionem habeamus; ut Laymannus loquitur: vel, ut Bellarminus: *Quia vim non habent ex pacto Dei expresso, quomodo sacramenta;* & pergit ille, *quia aliquando non expedit nobis, ut liberemur vel à morbo vel à demonis vexatione.* Sic nimirum, quando tale quiddam sequitur, quod aquae benedictae, tanquam medio efficaci adscribitur, erit contingens raro: ipsa vero aqua benedicta erit ejus causa per accidens, & ex parte quidem effectus. Reverà autem satius erat, abstinere ab illis laudibus & commendationibus aquae lustralis; quae millies adhibita, caret illo jactato fructu, atque usurpatores suos fallit, & vel ipsius Satanae ludibrio exponit.

§. XLV. Ne tamen putetur, nullum esse nexum inter aquam benedictam cum usurpatur, & inter bona illa, quae secuta aliquando feruntur; sed, ut habitudo quaedam, tanquam causae & effectus appareat; varia comminiscuntur. Costerus quidem de sod. B. Virg. affirmat, sanguinem Christi per aquam sacratam nobis applicari: sed qualis sit haec applicatio, non exponit. Et profecto ineptum est, statuere appli-



applicationem hanc sanguinis Christi ad nos, nec tamen unionem sacramentalem aquæ illius & sanguinis Christi posse probare. Impium etiam est, aquam illam aspergere, non tantum hominibus, sed pecoribus, agris, puteis, herbis, domiciliis &c. si simul & per eam sanguis Christi verè & realiter applicetur subjecto, cui aqua aspergitur. Quæ autem alia sit ratio applicationis illius sanguinis Christi per aquam lustralem; sibi & sacris suis Eleusiniis servat Costerus.

§. XLVI. *Bellarminus* l. c. docet, aquam benedictam habere virtutem illam *ex precibus Ecclesie & devotione utentium*. Cui etiam *J. Kellerus* consentit. Et *Laymannus* l. c. scribit: *Quia ejusmodi orationes* (quibus exorcizantur & benedicuntur atque aded consecrantur sal & aqua) *nomine Ecclesie sunt, quæ semper Deo grata, & accepta est; piè credendum, imò pro certo habenda est, ejusmodi Ecclesie benedictionibus atque rebus benedictis magnam vim inesse ad conciliandum hominibus, per misericordiam Dei, bonos motus divina gratia, quibus à peccatis mudentur, virtutibus augeantur, demonum infestatione liberentur, à corporalibus quoque periculis custodiantur vel eripiantur &c.* Quasi videlicet ritus aspergendi aquam illam, per modum causæ impulsivæ minus principalis, non quidem vi institutionis divinæ, quam deesse agnoscunt; attamen vi aut dignitate Ecclesie, tanquam causæ impulsivæ principalis, moveat Deum, ad virtutem suam infinitam, juxta desideria utentium ritu, exerendam, & per hanc conferenda bona, atque arcenda aut auferenda mala. Quanquam & devotio utentium, juxta *Bellarminum* & alios, movere Deum, sive ut *meritum de congruo*, sive ut *de condigno*, putari debeat.

§. XLVII. *Azonius* tamen P. I. L. IV. C. XI. p. 250. b. peculiarem tractat controversiam: *An per aquam lustralem, & sacram quam benedictam dicimus, peccatum veniale tollatur ipsa actione, per quam aqua illa aspergimur? an verò per actum nostræ pœnitentiæ, quem concipimus ob detestationem & adium*
peccat-

peccati, & per quem aquâ perfundimur? Addit: duas esse opiniones, alteram quæ neget peccata auferri opere ejusmodi sacramentalium: pro qua etiam multos auctores citat. Ipse autem opinionem alteram, quæ affirmat, sibi, uti Soto, Cano, Waldensi & Ledesma, magis probari, dicit; quippe quæ pietati magis faveat, & cum recta ratione nihil pugnet. Ac summa eò redit; quòd quando aqua consecrata non ad usus profanos, v. g. ad sordes corporis abstergendas; sed tanquam res sacra, & ab Ecclesia instituta, ad veniam levium delictorum assequendam adhibetur; jam per hoc ipsum opus, quod & quatenus est usus quidam sacer remedii ad remissionem peccatorum venialium obtinendam destinati, peccata venialia extinguantur: neq; hîc requiratur actus explicitus pœnitentiæ, sed sufficiat implicitus, quò homines peccata tacitè detestantur: quoniam ad rem sacramentalem, tanquam remedium contra peccata venialia, accedunt: quamvis non ideò, quòd peccata detestantur, sed quòd re sacra religiosè utuntur, veniam consequantur.

§. XLVIII. Sic fortasse intelligi potest mysterium Papale, de efficacia aquæ lustralis. Sed quando nihilominus ex aduerso, (1) orationes illæ, exorcizationes & benedictiones, non fiunt secundum voluntatem Dei: ac potius (2) ad tentandum Deum sunt compositæ; eò quod miraculosos effectus per media à Deo non suppeditata quærunt: ideoque (3) nec ipsæ orationes, neque usus aquæ benedictæ, devotionem veram, sed superstitionem spirant; denique (4) non Ecclesia, pro cœtu fidelium accepta, sed cœtus aliquis visibilis particularis, qui sibi nomen & dignitatem & privilegia corporis Christi mystici falsò arrogat; ritum illum fovet, & suò nomine celebrari vult: ideò nihil est, quod Deum reverà moveat, ad operandum præter naturam cum hac aqua, aut per eam in usu constitutam, sive ad depellenda mala, sive ad conferenda bona.

§. XLIX. Ipse Azorius l. c. sibi objicit hoc argumentum:



tum: *Solus Deus peccata remittit. At sacramentalia sunt ab Ecclesia instituta. Ergò vim non habent ulla peccata delendi. Ecclesia enim potestas data non est, ut instituat remedia ad peccata tollenda: alioqui posset Papa legem statuere, ut quicumque hoc vel illud fecerit, leviorum culparum veniam consequatur.* Respondet autem, Ecclesiam habere à Christo auctoritatem constituendi remedia, extra sacramenta, ad remissionem venialium peccatorum assequendam; ex verbis illis *Job. XX. Quorum remisistis peccata &c.* quæ generatim sint dicta: Nec tamen inde confici, ut possit Papa legem suo arbitratu ferre, ut qui hoc vel illud quocumque modo fecerit, ab omni culpa veniali solvatur: nisi ea lex talis sit, ut pium aliquod charitatis, poenitentiae vel religionis officium præcipiat: At tale officium esse, quòd homines lustrali aquâ perfunduntur, ob Ecclesiae constitutionem, ad cultum & honorem divinum, & ad peccata sua venialia eluenda. Fundatur ergò sententia illa *partim* in præjudicio & errore de potestate Ecclesiae judiciaria & propriè dicta in ordine ad peccata, quoad reatum, quem coram Deo habent, remittenda: *partim* in errore de constitutionibus Ecclesiasticis, quæ quando ritus indifferentes præscribunt, tamen ad cultum divinum directè spectent; *partim* in errore de merito operum, ad tollendum reatum peccatorum. Unde Nostrates hoc, quicquid est, meritò rejiciunt ac damnant: uti Curiam Romanam pro vera Ecclesia Christi non habent nec habere possunt.

§. L. Nunc tamen nobis adhuc expendenda sunt, quæ in Decreto Alexandrino ad *Confirmationem* assertionis de *sanctificatione populorum per aquam sale conspersam* afferuntur. Sic enim denique, his pertractatis, *mandatum* ipsum de *exercitio ritus illius*, quoad vim & valorem suum, clariùs patebit. Est autem argumentum *primum*, quo efficacia aquæ lustralis persvadeatur, petitum ab analogia ritus Levitici. Verba Decreti hæc sunt: *Nam si cinis vitulae sanguine*
 E *asper-*

asperfus, populum sanctificabat, atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat, atque mundat. Glossa ad hæc notat: Historia legitur in Levitico, quòd decimâ die Septembris tollebat sacerdos de proprio vitulam rufam trimam & immaculatam, quæ nondum portaverat jugum, & immolabat eam pro peccato sue domus: & hircum quem sumebat ab universa multitudine, immolabat pro peccato populi: pelles & carnes & fimum vitulae & hircum comburebat extrâ, & cinerem servabat: & inde per totum annum fiebat aspersio aquæ, quâ purificabantur immundi de quibusdam, quæ in lege immunditia dicebantur: utputa si aliquis tetigisset cadaver hominis mortui, vel sepulchrum, erat immundus usque ad diem septimam: & hæc aqua mundabatur.

§. LI. Nostrum erit, ineptias & mendacia, quæ hîc occurrunt, paucis notare. Nimirum (1) falsum est, cinerem vitulae fuisse olim sanguine aspersum: quod Pseudo-Alexander somniavit. Quamvis enim de sanguine juvenca jugulata digito suo guttulas quasdam accipere & versus anteriorem tentorii partem aspergere debuerit Sacerdos Eleazar; tunc tamen nondum aderat cinis juvenca, cum hæc combusta nondum esset. Et quia deinde non tantum pellis, caro & fimus, sed & sanguis ipse juvenca (quod non debebat omisisse Glossator,) comburi consueverit; planum est, cinerem juvenca non fuisse sanguine aspersum, sed consumptis sanguine & carne, solum superstitem asservatum fuisse, qui aquâ permixtus cederet in medium purificationis, & constitueret aquam aspersiois aut separationis. (2) Falsum est, quòd Historia ista legatur in libro Mosis Levitico: quod Glossator perhibet. Confundit is historiam de hirco emissario & altero socio mactando: cujus mentio fit Levit. XVI. verum illic nihil habetur de juvenca rufa, ejusque cinere. Id enim Numer. XIX. vers. 2. seqq. demum traditur. (3) Nimis crudè dicitur in decreto, quod cinis vitulae rufae sanctificaverit & mundaverit populum, velut absolutè. Certè à peccatis eos non mun-



mundavit, sed tantum à ceremoniali immunditie purgavit: quod contextus docet: & Apostolus Ebr. IX, v. 13. expressè interpretatur de *sanctificatione ad carnis puritatem*; ἀγιαζέει inquit, πρὸς τὴν ἰσχύος καθαρότητα. Sic autem nulla est consequentia à purificatione illa ceremoniali, ad sanctificationem à peccatis venialibus per aquam lustralem. Nam (4) Apostolus quidem l. c. divinâ inspiratione nixus rectè colligit: *si cinis juvenca aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem. Quantò magis sanguis Christi, purgabit conscientiam vestram &c.* Nimirum typum ad antitypum suum rectè & congruè refert; quasi diceret: Quod typus significavit, per sanctificationem ad munditiem carnis; id antitypus implere potuit & debuit; velut typo adumbratum. Est enim Antitypus typo longè, imò infinitè perfectior. Sed Pseudo-Alexander, deserens antitypum verum, pro sanguine Christi, aquam sale conspersam & precibus sacratam, substituit: neque adeò consequentiam suam probare potest. Imò quia, quicquid olim cinis juvenca praestitit, ex ordinatione divina pependit; Aquæ salsa autem aspersio in N. T. caret institutione divinâ; jam non hæc multò magis; sed minimè omnium, sanctificabit & mundabit populum.

§. LII. Non majoris roboris est *alterum* argumentum, ab analogia operis miraculose Elisæi Prophetæ desumptum. *Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est; quantò magis divinis precibus sacratas sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atque mundat, & expurgat; & cetera bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit, & à phantasmatum (Jouerius & Turrianus legunt, phantasmatis; Carranza, phantasmaticis) versutiis homines defendit?* Ubi iterum hallucinatur Glossator, historiam illam accidisse perhibens, *cùm Helisæus esset in eremo.* Fortasse, ut Eremitarum patronum fingat. Nimirum II. Reg. II. vers. 20. Prophetam *Jerichunte consedis*se aut commoratum fuisse legimus, atque illuc à civibus compellatum, ut aqua-



rum vitio mederetur. *Inde etiam, & per respectum ad historiam illam, esse, quod, cum aqua exorcizatur, dicit sacerdos: Deus, qui per Heliseum Prophetam salem in aquam mitti iussisti; uti is porro annotat, facile concedimus; licet verba illa non in exorcizatione aquæ, sed salis, legamus: qui memoria lapsus in Glossatore fuisse videtur. Rem verò quod attinet, ineptè profectò (1) provocatur ad singulare Propheticum & miraculosum factum, quò Deus officium ejus confirmare voluit; unde, velut lege Ecclesiastica, ritus utendi sale & aquâ ad præternaturales effectus, sanciretur. Quidni eodem jure miracula ipsa Helisæi v. g. aquas amaras dulces faciendi, suscitandi puerum mortuum, amplificandi farinam & oleum propè consumpta, ad diuturnos usus; panibus viginti hordeaceis satiandi centum viros &c. imitantur Pontificii? Quid autem (2) connexionis est inter aquas sale insperso sanatas, & inter deletionem peccatorum, quæ animam afficiunt, per usum aquæ salis? Et quæ (3) convenientia actûs illius in simplicitate peracti à Propheta, cum magica illa exorcizatione, creaturarum Papali? Nam neque (4) divine preces aut hinc aut in superiore argumento prætexi validè possunt. Quamvis enim ad Deum dirigantur, quia tamen nec ab ipso inspiratæ, nec mandatæ, aut voluntati ejus congruæ sunt; divinæ appellari non merentur, nec tantæ virtutis esse putari debent, ut per aquam salis præstent, quod Propheta sale suo obtinuit.*

§. LIII. Sed ad tertium argumentum Epistolæ Papalis properamus, quod confirmationem præcedentis secundi fore crederes, quia à particula *Nam* orditur. Verùm hic ille stylus cest, quem jam suprâ notavimus, indocto impostore dignus. Verba ipsa autem ita se habent: *Nam si tactu simbrie vestimenti Salvatoris salvatos infirmos esse non dubitamus; quanto magis virtute sacrorum ejus verborum divinitus sancuntur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas.* Miramur, hoc in Jure Canonico non legi



legi; à *Carranza* quoque omiffum esse: quod tamen in *Epistola* apud *Turrianum* & *Joverium* apparet. Quanquam argumentum ipsum omninò ineptum est. Quid enim commercii est fimbriæ vestimenti Christi cum aqua falsa exorcisata? Et tamen huic tantò magis sanitatem animæ non minùs, quàm corporis, pollicetur Pseudo-Papa; si tactu fimbriæ vestium Christi infirmi salvati fuerint. At, virtute sacrorum verborum Salvatoris id fieri, contendit. Bene quidem, si docere posset, Christum præcepisse benedictionem salis & aquæ, verbis suis faciendam. Verùm hîc non tantùm tabulæ non adsunt, sed defectum institutionis ipsi Pontificii fatentur. Mendacium itaque est, quòd de sacris verbis Salvatoris garrit personatus Alexander. Et quid tandem est virtute verborum istud fieri? Anne, quòd *Franciscus Vallesius* eloquitur de *Philos. Sacra* L. I. Cap. III. p. m. 74. *Auctoritas Ecclesie jubet exorcistas uti conceptis verbis, quasi illis demones fugandi virtus quadam præcipuè insit. Quò etiam spectare dicat quis illud Evangelii, In nomine meo demonia ejicient. Non enim iam in jejunio solum & oratione dicit, sed in nomine meo, quasi ipsa nominis Jesu prolatio efficaciam habeat ingentem. Verùm, hæc ipsum superstitionis nervum indicant: in quo incidendo pridem occupata fuit opera piorum doctorumque & prudentum virorum.*

§. LIV. Possent hæc sufficere ad declarandam infirmitatem patrocinii aquæ lustralis. Si enim Papalia argumenta tam levia sunt, quid à minorum gentium Diis expectabimus? Attamen & ex *Mose*, & *Prophetis*, & *Psalms*, accessunt, quæ aquam illam lustralem commendent.

§. LV. *Bellarminus* L. III. de *Cultu SS.* cap. VII. *aquas probationis* ex *Numer. V.* huc refert, secutus *Alphonsum à Castro* lib. 2. adv. *Hær.* voce *Aqua hæref. 2.* Quem tamen aquæ ductum facile obstruemus, si observetur (1) non esse, cur *Levitici* ritus V. T. in N. T. quoquo modo invehantur. (2) aquas illas non mundasse à peccatis, nec reddidisse sanita-

tem animæ & corporis, quod aquæ lustrali adscribitur: sed peccata occulta, per morbum corporis, delinquenti adulteræ illatum, protulisse in lucem: (3) ideòque *maledictam* potius, quàm benedictam dici consuevit.

§. LVI. Ex Prophetis prioribus *Bellarminus* l. c. adducit *Miraculosam Naamanis curationem*, II, Reg. V. qui tamen non à peccatis, sed à lepra curatus fuit, idque per aquam fluvialem, non falsam, non exorcisatam, non sacratam. Ita & hic aquæductus perit. Ex posterioribus Prophetis *Durandus* L. IV. de Div. Off. c. IV. adducit dictum *Ezech. XXXVI. v. 25. Aspergam vos Aquis mundis, ut mundemini*. Verùm hunc quidem textum *Cornelius à Lapide*, quem *Tirinus* sequitur, ut & *Emanuel Saa*, de aqua gratiæ aut baptismatis exponunt: non de aqua lustrali. Quæ vel eò nomine hîc substitui non potest, quòd, cùm hæc divinitus instituta non sit, verba Dei: *Ego aspergam*; temerè huc trahantur.

§. LVII. Ex *Psalms*, *Discipulus de tempore* serm. 110. huc accommodat verba *Psal. LXXIII. (Hebr. LXXIV.) v. 13. Contribulasti capita Draconum in aquis, i. e. aquâ lustrali à Sacerdotibus aspersâ demones fugantur*. Rectè *B. Glasius* noster inter exempla ineptarum allegoriarum hoc refert. L. I. Philol. S. P. I. Tract. II, Sect. III. art. VI. pag. 301. Et certum est, nomine *draconum* intelligi maghates Ægyptios, quemadmodum vers. seq. 14. *Leviathan Ægyptiorum* Regem Pharaonem denotat: quod & *Bellarmin.* in *Psal. p. 415. b.* & *Emanuel Saa* agnoverunt. Pro mari autem & aquis marinis substituere labrum cum aqua exorcizata, prorsus ineptum & stolidè temerarium est.

§. LVIII. Veram autem originem Aquæ lustralis, quæ in Papatu viget, extra Scripturas in *Gentilium ac Judæorum* superstitionosa religione quærere necesse est. Cùm enim Deus, inter plures leges ceremoniales, quas data de lotionibus, non immergendo solum sed & aspergendo peragendis, dedisset, idque typico respectu ad ablutionem peccatorum per



per sanguinem Messiae præstandam; factum est, ut non solum Gentiles, ex Cacozelia quadam, seu perversa æmulatione sacrorum populi Dei, similes ritus suscipere, & in varias formas mutarent ac multiplicarent; verum etiam Judæi ipsi, progressu temporis, ad ἐθελοθρησκείας varias propensi, lotiones & consersiones plures excogitarent, aut undecunque arreptas usurparent. Ita ergo denique conversi ex Gentilibus ac Judæis ad fidem Christianam, cum à ritibus antiquis ægrè avellerentur, multos eorum intulerunt in Ecclesiam; ab Episcopis autem non parum, velut per συγκατάβασιw quandam, illis indultum, & quamvis correctione quadam factâ, talia nihilominus relicta, & commendata, quini- mō præcepta fuerunt, quæ religioni Christianæ minùs conveniebant.

§. LIX. De Romanorum veterum sub Gentilismo lotionibus, præter Auctores suprâ §. XV. citatos, *Rosinum*, *Carolus*, *Stuckium*, *Saubertum*, *du Choul*; videri potest *Is. Casaub.* Not. ad Theophr. Charact. Eth. B. *Stegerus* in Disp. peculiari de præcip. Rom. vet. lotionibus, ubi auctores plures citat, simul de *Hebraeorum & Christianorum veterum, itemque aliarum gentium ritibus* non pauca conjuncta exhibet. Quantum Judæi lotionibus & aspersioibus tribuant; docent *Buxtorff.* Synag. Jud. cap. VIII. p. m. 156. Cap. XI. p. 235. (de more, peccata in aquam projiciendi, Cap. XXIV. p. 505. de Lotionibus in festo Expiationis, Cap. XXVI. p. 527.) *Joh. Drus.* L. II. de Tribus Sect. Jud. cap. XIV. pag. 96. seqq. *J. Reuchlin.* de Verbo Mirif. L. I. cap. XVI. *Paul. Riccius* de Agricultura cœlesti L. III. p. 109. Sed nec ipsi Pontificii negare possunt, aliqui etiam apertè fatentur, à Gentilibus & Judæis sumtam fuisse occasionem, aquæ lustralis inter Christianos usurpandæ. *Polydorus Virgilius* L. V. de Rer. Invent. c. VIII. p. m. 369. scribit: *Fuit jam olim usus lustralis aquæ in Levitis consecrandis. — Quo factum est, ut Alexander primus Rom. Pont. auctor fuerit, ut hujusmodi lustralis aqua conse-*
crare-

craretur &c. De gentilibus autem, aquâ purgari solitis, velut ad abluenda peccata, vid, idem Lib. VI. cap. I. p. 405. *Durantes* Lib. I. de rit. Eccl. cap. 21. §. 6. *Hunc quodammodo ritum & Gentiles frequentarunt*; ait, *Baronius* autem ad A. XLIV. §. 88. inter capita collationis Gentilismi & Papismi, aquam lustralem disertè memorat. Conf. ad A. LVII. §. 106. ad A. CXXXII. §. 5. ad A. CCCCXXXIX. §. 88. Add. *Casalius* de Rit. Vet. Christ. cap. I. p. 3. cap. XXXVI. p. 162. 163. cap. LX. p. 239. *Ludov. de la Cerda* Eclog. VIII. p. 167. a. *Marfil. Columna* Hydrag. Sect. II. Cap. II. §. 29. seq.

§. LX. Frivola autem est *Baronii* ratiuncula, quasi hoc modo superstitiones paganorum per Christianos sint sanctificate, quodque ægrè fiat Diabolo, quando ei eripiantur, quæ ab ipso inventa sunt in suum honorem & gloriam, traducanturque ad honorem & gloriam Dei. ad A. 44. l. c. Quæ enim sanctificentur superstitiones, quando superstitiones manent? Et quomodo ægrè fiat Diabolo, quando homines, à vero Dei cultu, quem ipse præscripsit, abducti, rebus variis immorantur, & nescio quam sanctitatem & commoda, præter & contravoluntatem Dei, sibi pollicentur & expectant? Quomodo in Dei gloriam traducitur, quod à voluntate Dei alienum manet. Frivolum etiam est, quod objicitur: *Petrum*, quoque & *Paulum* accommodasse se Judæis. Respondetur enim; factum id fuisse, nec in quibuslibet, neque quolibet modo, nec absque instinctu Spiritûs Sancti singulari; non profectò, ut illa superstitio confirmaretur. Itaque, deficiente tali instinctu Spiritûs Sancti, ac post Evangelii plenioris manifestationem, stabilire ea, quæ non tam unquam præcepta, quàm temerè recepta & frequentata fuerant, inexcusabile est. Confer B. *Heilbrunn.* & *Zeam.* in Papatu Acatol. II. cc. *Rud. Hoppin.* de Templ. l. c. p. 276. b. *And. Rivet.* Cathol. Orthod. l. c. p. 320. *Richard. Montacut.* de Orig. Eccl. P. II. p. 79.

§. LXI. Equidem in Ecclesia Christiana, purioribus
tempo-

temporibus, receptum fuisse morem lavandi manus ante celebrationem Sacrorum, ac speciatim ante preces, non ignoramus. Meminit sanè ejus *Tertull.* Lib. de Oratione Cap. XI. *Euseb.* Lib. X. H. E. cap. IV. p. m. 380. D. *Cyrill.* Hierof. Catech. V. Illumin. *Chrysostronus* Homil. LII. in Matth. Cap. XV. T. II. Opp. p. m. 440. B. Homil. LXXII. in Joh. T. III. p. m. 345. B. De verbis Apostoli II. Cor. IV. (Habentes eundem Spiritum, Serm. III.) T. III. p. 1029. & Homil. XXXVI. ad Populum Antioch. T. V. p. m. 279. A. i. *Leo M.* ad Ennodium. *Paulinus* Epist. XII. & XXXIII. Verùm ista nec aqua falsa & exorcizata ac benedicta fuit; neque operi ipsi, tanquam Sacramentali, vis adscripta delendi venialia peccata. Signum tantùm aut symbolum hoc fuit, non medium efficax, mundationis animæ à peccatis. Imò *Tertullianus* pariter & *Chrysostronus* II. cc. perstrinxerunt superstitionem eorum, qui lotionem externam sordibus animi eluendis prodesse crediderunt. Itaque licet *Alexandrum I.* Episc. Rom. Decreti, quod examinamus, auctorem esse, constanter negemus: possumus tamen cum B. *Höpfnero* Sax. Evang. Cap. III. p. 350. dicere: *Esto, Alexander I. sit autor illius ritus* (quo Christiani, ante celebrationem sacrorum, aquis adspergebantur) *nihil tamen aliud fuit, quàm memoriale Baptismi, & tacitum monitorium ad spiritualem à peccatis lotionem, fide corda purificante Act. XV. instituendam; ut ex Durandi rationali Lib. IV. cap. IV. colligi potest.* Conf. B. *Gerh. C. C. L. II. P. II. p. 773.*

§. LXII. Jam verò tandem videbimus, quò jure & quibus *Pseudo-Alexander Exercitium* hujus ritus prescribat. Cùm enim dixisset: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti adspersi sanctificentur & mundentur; ita pergit: Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Ad quæ verba *Blondellus* hæc scribit: *Non quarimus, quo sine, sed quo jure, aqua falsa benedicat, quâ quoslibet adspergas.* Nimirum posterius non indicatur in epistola: sed stat pro ratione voluntas, *Mandamus,* ait: prætereaque nihil. Quod ex

F

Nostris

Nostris B. Heilbrunnerus reprehendit, tanquam fastus improbi documentum, Cumque J. Kellerus factum excusaret exemplo Apostolorum in Concilio Hierosolymitano; Zeemannus ex adverso difformitatem actionum ostendit: quòdque illud *Mandamus*, cum Apostolico ἐδοξε & παρηγγέλλω minùs conveniat. Quamquam nec Alexander aliquis in hoc negotio dicere potuit: *Visum est Spiritui S. & nobis*. Hic enim Spiritus S. nihil fecit. Novimus quidem etiam *mandandi* verbum accipi nonnunquam generaliter, pro quovis actu, quò negotium aliquod alteri gerendum aut exequendum committimus. Unde etiam *mandatum* & *jussum* distinguuntur, quòd hoc in servos, illud etiam in extraneos detur. Dantur etiam mandata in pares, ex conventionem, quã alteri nostro nomine aliquid faciendum amicè & bonã fide commendamus. Verùm hæc ad præsens non faciunt, ubi Pontificalis auctoritas *mandatum* parit; nimirum *publicum*, quò nomine vocantur propriè præcepta Magistratùs, quæ necessitatem parendi imponunt. Nobis autem constat, *Mandatum* injustum non habere vim obligandi: quod etiam ad *Lancellottum* in Instit. Juris Can. monuit B. C. Zieglerus p. 862.

§. LXIII. Interim noster ille Alexander ritum aquæ lustralis in usu constituendum mandat *omnibus sacerdotibus*; videlicet ut *faciant*, quod ipse facere solet, *benedicens aquam sale conspersam*. Inter Doctores tamen Pontificios quæstio est: *Per quem aqua sit consecranda?* Ad quam distinguere solent inter diversos fines atque adeò usus aquæ benedictæ. Sic Laymannus L. V. Theol. Mor. Tr. IX. Cap. XIII. §. 12. *Alia*, scribit, *aquæ & salis benedictiones referuntur ad consecrationem altarium, ecclesiarum, cæmteriorum, & talis benedictio aquæ ad Episcopum pertinet sicut & ipsa consecratio, seu reconciliatio. Alia est benedictio aquæ baptismalis, Presbytero competens, sicuti & ipsa baptismalis sacramenti administratio. Alia autem est aquæ & salis benedictio, quæ in Ecclesiis Latinis quovis Dominico die fieri solet, ut ex ea populus & alia aspergantur, atque à fidelibus*



fidelibus in vasculis mundis domum portari, ad morborum curationem animique munimen adversus dæmonis insidias religiosè usurpari possit. Cujus quis sit minister, disertè non exprimit: Sacerdotem tamen requirere prorsùs videtur. Nam & jam antè §. II. ex c. *prælectis d. XXV.* monuerat, ad Presbyterum pertinere, benedicere dona Dei: addens, si diaconus, quamvis jubente sacerdote, aquam v. g. benedicat, irritam esse benedictionem, quia non facta ab habente potestatem. Scilicet sacramentale quiddam esse aquam lustralem credunt: ideò eundem requirunt ministrum, qui sacramenta conficiat. Exorcistam autem, quem aliàs fugare posse dæmonem putant, tamen ad præsens, ubi cum exorcizatione benedictio ad impetrandum peculiare privilegium ac virtutem concurrat, imparem esse, ac ne Diaconum quidem sufficere judicant. Tanta religio est hominum in ἐθελοθρησκεία & nugis suis.

§. LXIV. Nec tamen hîc negligenda distinctio inter benedictionem publicam & privatam: quam Laymannus ipse tradit l. c. §. 1. p. 345. & illam quidem à quolibet fidei utriusque sexûs fieri posse; hanc autem esse actum ministerii Ecclesiastici per Ecclesie institutionem sacro ordini annexum, docet. §. 1. & 6. p. 346. Atque hinc est, quod etiam Kellerus aquæ falsæ eandem virtutem tribuit, sive precibus pii hominis privati, sive precibus Ecclesie à sacerdote consecretur: p. 858. Sed fatendum est, distinctionem illam ne à Laymanno quidem satis distinctè proponi, ut constet, quid Laicis & privatis circa aquæ falsæ consecrationem, quoad ritum ipsum & casus varios, liceat, vel non. Certè publicas benedictiones definit, quod sint ritus quidam seu formulæ orationum à Ministris Ecclesie ex ejusdem institutione super personis aut rebus aliis sensibilibus pronunciari solitæ, ad impetrandum hominibus divinæ gratiæ auxilium &c. Utrum autem privato liceat, aut etiam necesse sit, eadem uti formulâ orationum cum Ministris? & : Utrum tantùm deficiente ministro, si tamen mox opus esse videatur aquâ benedicta, v. g. ad fugandum spectrum

stram &c. privatus consecrare aquam possit? an etiam aliàs & pro sua devotione, id ei liceat? non definit. Itaque *Kellerum* non abs re miratur *Zeemannus*, qui licentiam istam sine limitatione concessit privatis personis: ac metuit, ne hâc ratione fenestra aut porta aperiatur superstitioni ac magia. Licet enim Jesuita dixerit, non concedi à se & suis homini privato quidlibet quomodolibet in talibus audendi, sed juxta morem Ecclesiæ: præterquam tamen, quòd ne hoc quidem satis tutum videbitur illis, qui pro juribus Cleri, & ut populus ab illo quàm maximè pendeat, pugnant. Certè concessa istiusmodi licentiâ, simili devotionis specie facilè audebunt privati, quod vel magis superstitiosum ac reverà deniq; magicum fuerit: prout experientia id non rarò comprobavit.

§. LXV. De mandato autem illo consecrandi aquam lustralem, jam satis opinor constat, neminem illud adscribere posse Alexandro I. Episcopo Romano, qui honori ejus, quem Doctor Ecclesiæ pius & martyr gloriosus meretur, consulere voluerit. Nec proinde erat, cur *Greg. de Valentia* L. II. de Missæ Sacrif. Cap. V. in Volum. de rebus fidei hoc tempore controversis p. 629. A. B. 2. B. *Heerbrandum* nostrum carperet, quod Epistolam illam Alexandri esse negasset: quasi videlicet, quicquid *testimoniorum contra nos citatur, not hunc nobis sit*; ac sine causa rejiciatur. Pontificios pudere debebat, superstitiones suas testimoniis nothis fulcire, quibus labentibus & illas ruere necesse est; uti vara vibiam trahit.

§. LXVI. Imò tantum abest, ut secundi seculi Episcopum, inter optimos computatum, hujus superstitionis auctorem aut statorem credere queamus, ut potiùs corrente seculo IV. aquæ istum usum ab *Optato Milevitano* in *Donatistis* reprehensum, atque adeò Christianos ejus temporis orthodoxos alienos ab eo fuisse, persuasi simus. Sic enim ille Lib. VI. *Jam illud quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis & sine causa inclusa spatia salsa aquâ adspergi præcepistis. O aqua, quæ dulcis à Deo creata es, —*

resta-

restabat tibi post promotionem non leviter degradari. Presentiâ Moysis in te amaritudo moritur, & à Schismaticis hodiè cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Sed & seculo VI. exeunte fideles Ægypti Timotheum Ælurum, Episcopum Alexandrinum, hominem hæreticum, accusarunt; quòd aqua sale mixtâ altaria laverit & consecraverit: in Ep. ad Anatum Patriarch. Constantinopol. non sanè ausuri, si ab Alexandro I. Ep. Rom. mos ille institutus, vel saltem quocunque initiò tunc in usu fuisset. Conf. *Matth. Larroquanum* de Euchar. P. I. cap. V. p. 78.

§. LXVII. Invalescente autem quantumvis superstitione, ipsoque Papatu, non pauci tamen reperti fuerunt, qui *Aquam benedictam nihil plus habere virtutis aut efficacie, quàm non benedictam* dixerunt. Vidd. quæ de *Flagellantibus & Lollardis* ex *Alphonso à Castro*: De *Waldensibus & Wicleffis* & *Bohemis* ex *Aenea Sylvio & Bellarmino*; denique ex *Erasmo* collegit *B. Gerhardus* Conf. Cath. p. 773. 774.

§. LXIIX. Servent itaque sibi suam aquam & salem Pontificii: nec nobis vitio vertant, quòd à superstitione Ethnico-Judaico-Hæretica abstinemus. Nam & nunc in ea confutanda prolixioris operæ nos piget: quibus aliàs etiam examinandæ forent quæstiones: *An Aqua profana, que sacrata non est, addita aquæ sacrata, tota fiat sacrata?* In qua quidem inter omnes Doctores Pontificios convenit, totam reddi sacratam: sed Auctores in reddenda ratione & Causa dissentunt. Vid. *J. Azor*, P. II. L. IX. Cap. XV. *Jac. de Grassis* L. I. Consil. de Sac. Unct. Consil. Un. Cap. II. §. 23. 24. p. 29. *Paulus Laymannus* L. V. Tr. IX. C. XIII. p. 349. Cui se associat altera & tertia: *An, si sacerdos intendat totum flumen benedicere, effecturus sit? An etiam si puteum aut fontem?* de quibus *Laymannus* l.c. Sed temporis & chartæ habenda est ratio. *Claudimus* dissertationem nostram verbis Christi *Job. XVII, 17.*

Sanctifica nos, Domine, in veritate tua! verbum tuum veritas est!

Δ.

T,

Θ,

Per-



Pereximio atque Humanissimo

DN. JOHANNI Rehberger / S. Theol. Cultori
pio & industrio, Populari atque Amico meo pluri-
mum dilecto,


S.


MIrabuntur haud dubie nonnulli, quò consilio lu-
stralem aquam Pontificiorum, Disputationis pu-
blicæ materiam præ aliis elegeris. Adeò enim aper-
ta superstitionis ineptia esse creditur, ut non in-
examen vocanda, sed ludibrio habenda, videatur.

Et profectò sentina quedam hìc est absurditatum & fraudum
Papalium, ut Erasmus aliquis, facile habuisset, quod spleni indul-
geret largiter, si aqua falsæ & exorcizata gustum dare voluisset:
quemadmodum Salsamentario & Lanioni collocutoribus
IX Δουφωγία Romanam multò sale perfundendam commisit.
Verùm ista quidem illis relinquenda sunt, qui satyras amant.
Tibi visum est serio & accuratiori examini subicere illud, quod
ritui illi, tanquam sacro, Pontificii in primis substernunt. Decretum,
inquam, ad quod Apologia Aug. Confess. respicit, ubi Papales
pompas cum Phariseorum opinionibus confert, qui senserint,
se coram Deo mundari hoc est justificari crebris ablutionibus,
Sicuti Papa, nescio quis, de aqua sale conspersa inquit, quòd po-
pulum sanctificet ac mundet; & Glossa ait, quòd mundet à ve-
nialibus. Et concurrunt hìc profectò, quæ ad regnum Papisticum
intimius spectandum, simul Scripturæ S. & antiquitatis Ecclesiasti-
cæ scrutinium, solidam deniq; seu analyticam tractationem à sophi-
stica distinguendam deducunt. Itaq; Tibi, Amice mi honorande, qui
post aliquot annorum in utraq; Academia, Altdorffina & Salana
nostra, culturam sacri studii diligentem, & ànegatæ ac medita-
tiones quotidianas, ostensamq; morum probitatem egregiam, jam
profectus tuos publicè conspicuos factururus es, priusquam hinc di-
scedas, non tantum habeo gratulari; sed in primis Deum precor; ut
Te porro suis donis cumulet, quibus Ecclesiæ prosis, & quorum co-
mes sit perpetua mentis corporisq; prosperitas, Vale. Scrib. a. d.
XXII. Junii A. cIo lvo XCII.

PRÆSES,







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

28

B. C. D.

IO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

ALUSTRALI TIFICIORUM,

VOM

Reih = Wasser.

m Sale. de Consecrat. D. 3.

Quam

IB PRÆSIDIO

WILIELMI BAJERI

heol. D. & Prof. Publ.

entilationi publica exponet

ANNES Rehberger /

Norimbergensis

Junii A. C. cIs Isc XCII. Junii 1692.

Horis Locoque consvetis.

J E N Æ,

ris GOLLNERIANIS.